IN COMMENTARIUM DE BELLO AFRICANO
QUAESTIONES CRITICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS MÖLKEN

COLONIENSIS.

ARGENTORATI

MDCCCXCII.

Von der Fakultät genehmigt am 23. Januar 1892.

PATRIS CARISSIMI
PIIS MANIBUS

S.

PRAEFATIO.

Notum est, quantopere ante hos quattuor annos Gustavus Landgraf virorum doctorum animos commoverit, cum de bello Africano commentarium C. Asinio Pollioni vindicandum esse contenderit. Cuius viri docti in argumentis summam inesse vim et gravitatem putaveris, postquam praeter alios Eduardus quoque Woelfflin, vir sine dubio linguae latinae peritissimus, ad eandem se applicavit sententiam. Utrumque autem non fugit huic sententiae ante omnia refragari illud iudicium, quod usque ad id tempus de commentarii indole valebat pronuntiatum a Nipperdeio, critico itemque sagacissimo, qui incertum libri auctorem in numero inferioris ordinis hominum ponendum esse probaverat. Itaque huius iudicii adversariis videndum erat, qua ratione argumentorum illorum quibus usus erat Nipperdeius auctoritatem labefactarent, frangerent, retorquerent. Quod munus difficile suscepit Woelfflinius, cum commentarium denuo edendum curaret. Atque Kiesslingi, praeceptoris humanissimi, auspiciis semper prosperis haec editio recentissima per semestre hibernum anni MDCCCXC sodalibus seminarii phil. Argentinensis proposita est. Et postquam ipsi de codicum ratione et auctoritate proprio docuimus opusculo, suadente et benevolentissime adiuvante praeceptore ad totam quaestionem tractandam aggressi sumus. Sed per longum id intervallum non deerant viri docti, qui de eadem re scriberent. Horum itemque reliquorum scripta,

quorum argumenta huc spectant quaeque insequentibus saepius citantur, antequam ad rem ipsam accedamus, adponantur:

N. = Nipperdeius in quaestionibus Caesarianis editioni Caesaris praemissis (a. 1847).

Froehl. I. = Froehlich: *Das bellum Africanum*, Brugg 1872.

Koehl. I. = Koehler: *de auctorum bell. Afric. et Hisp. latinitate* in vol. I act. sem. phil. Erlangensis (1878).

L. = Gustav. Landgraf: *Untersuchungen zu Cäsar*, Erlangen 1888.

W. I. = Eduardus Woelfflin et A. Miodonski edd. *C. Asini Pollionis de Bello Africo commentarius*, Lipsiae 1889 (quae verba insequentibus uncis [ ] inclusa sunt, utpote a grammatico addita eicienda censuerunt editores).

W. II. = idem, Sitzungsb. d. Kgl. Bayr. Akademie der Wiss., 1889: *C. Asinius Pollio de bello Africo*.

Schneid. I. = R. Schneider in Landgrafi commentationis recensione: *Berl. philol. Wochenschrift* 1889.

Koehl. II. = Koehler recensuit item in: *Blätter für das bayr. Gymnasialwesen*, vol. 25.

Schneid. II. = Schneider in: *Jahresberichte des Berl. philolog. Vereins*, a. 1889.

Schneid. III.: idem in eodem corpore, a. 1890.

Froehl. II. = Froehlich: *Das Kriegswesen Cäsars*, Zürich 1889/90.

Schmalz: *Über den Sprachgebrauch des Asinius Pollio*, ed. II, München 1890.

Thorb. = Thorbecke: *De C. Asinio Pollione*, Lugduni Batavorum 1820.

Forchh. = G. Forchhammer: *Quaestiones Criticae*, Hauniae 1852.

I.

De bello Africano commentarium quis composuisset, primus dedita opera in editione Caesaris anno MDCCCXLVII emissa quaesivit Nipperdeius. Atque scriptoris et dicendi et componendi genere ab omni parte examinato ad certum vir ille doctus pervenit finem. Argumentis enim nisus satis gravibus cum antecedentem libellum de bello Alexandrino Hirtio vindicaret, reliquos de bello Africano et Hispaniensi commentarios non modo ab Hirtio sed ne ab uno eodemque quidem homine statuit esse compositos.

Quam ad sententiam adductus est cum verborum delectus quae intercederet inter hos tres commentarios dissimilitudine, tum autem et compositionis et sermonis differentiis.

Etenim in commentario de bello Africano rerum dispositionem, cum unice sequeretur dierum rationem, omni carere arte, dicendi autem genus non solum abundans et languidum, verum etiam priscum esse et vulgare.

Quapropter cum nihil nobis de huius commentarii auctore traditum esset, certi proferri posse nihil. Id certissime constare non fuisse auctorem e Caesaris familiaribus, cum quantum ex epistulis horum hominum una cum Ciceronis servatis iudicari posset, quamquam hoc scriptionis genus minore cura confici soleret, ne unus quidem inveniretur, qui sermonem coleret huic commentario aliqua tantum ex parte similem.

In his quae Nipperdeius statuit de commentarii tertii decimi auctore usque ad nostram aetatem plerumque adquieverunt viri docti, donec contradixit Gustavus Landgraf.

Cuius sententia, ut propriis eius utamur verbis, haec est (pag. 13): „In dem unter dem Titel bellum Africanum oder Africae erhaltenen Supplemente haben wir das Tagebuch des Asinius Pollio zu erblicken, der den Krieg selbst mitgemacht hat. Auf die Aufforderung des Hirtius, ihm einen Bericht über die spanischen Unruhen und den afrikanischen Krieg zu liefern, hatte er ihm dasselbe zur beliebigen Benutzung eingeschickt. Hirtius wendete sich mit der Bitte um einen Bericht über die Vorfälle in Spanien während der Jahre 48/47 v. Chr. deswegen an Asinius Pollio, weil dieser als ein Nachfolger des Q. Cassius Longinus, der jene Wirren hervorgerufen, vom Jahre 45 an Statthalter von Hispania ulterior und als solcher am besten in der Lage war, ihm genaue Auskunft über jene Ereignisse zu geben."

pag. 14: „Als Pollio, in dessen Interesse es doch gewifs zunächst lag, über den Verbleib seiner dem Hirtius überlassenen Papiere Erkundigungen einzuziehen, den schriftstellerischen Nachlafs des Hirtius einsah, fand er das VIII. Buch des gallischen Krieges, das Hirtius bereits mit der Ziffer VIII als fortlaufenden und die Commentarien de bell. Gall. beschliefsenden Teil bezeichnet hatte, in nahezu vollendetem Zustande vor. Er gestattete sich nur in einzelnen Kapiteln einige ihm nötig scheinende kleinere Zusätze (2, 2; 34, 2). Neu eingelegt sind die Kap. 23; 47; 48, 1—9; und die Schlufskapitel 53; 54; 55; mit denen er die Brücke zum bellum civile bildete." Quae Hirtius ex his de bello civili commentariis imperfecta reliquisset, Asinium ad finem redegisse: pag. 14, 4. 5. 6. Pergit, pag. 18 versu 24:

„Was blieb ihm (Asinio Pollioni), wenn er das hinterlassene Werk des Hirtius, zwar nicht nach dessen ursprüng-

lichem Plane als eine in sich zusammenhängende Geschichte des Cäsarisch-Pompejanischen Bürgerkrieges herausgeben, aber doch lebensfähig machen wollte, anders übrig, als die beiden noch lückenhaften Schriften, Gall. VIII u. bell. Alex. zu vervollständigen, in Connex mit Anfang und Schlufs des Cäsarischen bellum civile zu bringen und den Separatbericht über den afrikanischen Krieg und vielleicht auch den über den spanischen Krieg (? cfr. pag. 10) zugleich mit dem Ganzen der Öffentlichkeit zu übergeben, so dafs doch wenigstens das von Hirtius in dem Prospecte angekündigte Unternehmen dem dort geplanten Umfange nach zur Ausgabe gelangte? Dazu müssen wir bedenken, dafs das Tagebuch des As. Pollio über den afrik. Krieg, das er dem Hirtius zur Benutzung überliefs, von vornherein nicht zur Veröffentlichung in dieser Form bestimmt war. Wenn er nun auch jetzt vor der Ausgabe des Ganzen nichts that, um der Schrift einen mehr kunstmäfsigen Anstrich zu geben, so kann er nur dies in der bestimmten Absicht gethan haben, eben durch die Beibehaltung jener mehr rohen Form alle sich etwa an seine Person knüpfenden Vermuthungen abzulenken."

Huic sententiae, quam Landgrafius scite excogitavit, iam primo obtutu haec potissimum refragari videntur:

Landgrafius enim plane videtur neglexisse, quando Hirtius supplendorum Caesaris commentariorum munus susceperit. Apparet ex epistula, qua commentario VIII praefatur, animum eum induxisse post mortem demum Caesaris idque quam maxime invitum (epistulae initium velim conferas: *Coactus assiduis tuis vocibus, Balbe, cum cotidiana mea recusatio non difficultatis excusationem sed inertiae videretur deprecationem habere, rem difficillimam suscepi*). Priusquam igitur Caesar interficeretur, cum hic ipse commentariis suis perficiendis operam daret et daturus esset, nunquam Hirtius nec cogitavit nec cogitare potuit se aliquando hoc perficiendi munere occupatum iri. Quomodo

tum fieri potuisset, ut tamen Hirtius iam anno u. c. 708 ab Asinio peteret, ut se hac in re adiuvaret, Landgrafius quaerere distulit.

Huc accedit alterum: nam si non Hirtius ipse, at Caesar huic bello interfuit. Is autem certo putandus est composuisse sibi commentarios belli diurnos, quibus postea in bello accuratius explanando uteretur. Hos igitur Hirtius eodem modo, quo eis usus est in libris de bell. Gall. VIII et de bell. civ. I—III conscribendis, adhibere potuit ad commentarium de bello Africano componendum et adhibuisset, si fortuna maius ei vitae spatium concessisset (videas epistulae § 8: *mihi ne illud quidem accidit, ut Alexandrino atque Africano bello interessem, quae bella quamquam ex parte nobis Caesaris sermone sunt nota, tamen aliter audimus ea, quae rerum novitate aut admiratione nos capiunt, aliter, quae pro testimonio sumus dicturi*; per totam deinde epistulam ne verbum quidem facit de aliorum auxilio, sed omnem laudem cum Caesaris tum suae ipsius operae tribuit). Itaque hanc quoque ob causam nihil eum movere potuit, ut ab alio, qui se sublevaret, auxilium peteret.

Magis etiam sententia labefactatur Landgrafi, si quaerimus, unde Asinium scripta Hirti relicta percensuisse appareat. Landgrafius quidem nullum attulit argumentum, quo sententiam suam comprobaret; sed contra facit hoc: certo enim certius est nullam omnino rationem intercedere inter ultimi commentarii de bell. Hisp. auctorem et Hirtium. At si Hirtius iam anno 708 munus illud suscipere in animo habuisset, sine ullo dubio anno 709 res belli Hispaniensis, cui ipse interfuit, ipse litteris mandasset. Hunc autem libellum Asinius, si scripta Hirtii perlustrasset, invenire et ad lucem edere debuit.

Tamen omnes hae difficultates, quamquam explicari nequeunt, tolerandae essent, si Landgrafius sententiam suam argumentis defendere potuisset certis et gravibus. Ad haec autem si accedimus, tantum abest ut certa et gravia quae

exspectavimus inveniamus, ut ea reperiamus, quorum maior pars prorsus nihil, reliqua non tantum valent, ut omnes illas superent difficultates.

Affert enim Landgrafius (pag. 33—37) ex epistulis Asinii et reliquiis quadraginta fere vocabula et verborum compositiones, quae pariter inveniuntur in hoc commentario. Ipse autem sua sponte concedit (pag. 37) horum locorum alteram partem non multum valere. At reliquis duobus et viginti summam tribuit vim et auctoritatem. Qui cum praebeant Asinii sermonis specimen, dubitari non iam posse contendit, quin Asinius auctor sit commentarii.

Sed ex his quoque locis nonnulli eximendi sunt, quia aut contra codicum fidem mutati aut falsa nati sunt interpretatione.

Leguntur enim 21, 1 haec:

Opera interim ipse cotidie circuire et alteras [1]) *cohortes in statione habere propter hostium multitudinem.*

Porro 81, 1: *quintae* [2]) *legionis in quarta acie ad ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias conlocatis.*

His locis apparere dicit commentarii auctorem plane eodem modo quo Asinius [3]) distributiva usurpare loco cardinalium.

Sed W. perbene intellexit illo loco coniecturam Lipsii falsam esse manuque felicissima genuinam restituit scripturam *alternas.* Altero autem loco non quinque cohortes in utroque cornu disponuntur (i. e. duae et dimidia in dextro totidemque in cornu sinistro), sed, quod Nipperdeius iam exposuit pag. 221, d i m i d i a l e g i o ad dextrum, d i m i d i a ad sinistrum.

Deinde Asinius in epistula 32, 5 c o g n o m e n anteposuit g e n t i l i c i o *Gallus Cornelius.* Eandem prorsus

---

1) *adterras* A. *ad ternas* Lipsius et edd.

2) *quinque* O.

3) ep. ad fam. X, 33, 3 *binis tabellariis* = *duobus tabellariis.*

L. contendit inveniri collocationem in commentarii c. 97, 1: *Crispus Sallustius* et 87, 8: *Sulla Faustus*. At ille locus nulla nititur codicum auctoritate (scribendum esse nudum Sallusti nomen iam dudum intellexerunt editores); alter autem cum loco epistulae comparari non potest.

Nam insolitum ac novum Fausti praenomen etiam cognominis instar legitime postponi posse videbatur (cfr. C. I. L. I, 818 *Licinius Faustus*; 1037 *Septimius Faustus*). Nullo igitur loco per totum commentarium illa nominum collocatio invenitur. Et si ea inveniretur, iam nunc moneamus licet huic rei tribui posse ne minimum quidem momentum. Haec enim quam usurpavit Asinius collocatio adeo non eius sermonis specimen est, ut apud alios eiusdem aetatis saepius occurrat scriptores, velut apud ipsum Caesarem bell. civ. II, 33, 5 *Varus quidem Attius*, III, 83, 1 *Spintherque Lentulus*.

Porro c. 12, 1 codices omnes praebent *et hercule*, quae vocativi forma et linguae usu defenditur et altero exemplo cap. 16, 1, ubi in archetypo scriptum fuisse constat *mehercule* [1]). Iam autem in Asini epistula 33, 3 altera forma legitur *hercules*.

Itaque cum illi duo loci aperte facerent contra Landgrafi sententiam, a W. mutati sunt in *et hercules* et *mehercules*. Nulla autem causa est, cur vocativus *hercules* a Cicerone spretus [2]) sed ab Asinio usurpatus scriptori huic obtrudatur.

Idem fere cadit in alterum locum, qui invenitur 73, 3, ubi exhibent libri *quod hostium copias ab se suoque vestigio non discessuras existimabat*, nisi quod P *ses suosque*, V *ēē* (ss) *suasque*, U *suosque* praebent. Cum omnes codices exhibeant ablativum *vestigio*, ALP et FD codices *suoque*: *suoque*

1) meherculem: LP.

2) Cic. orator 157: „*libentius dixerim mehercule quam mehercules*".

vestigio in archetypo extitisse constat. Iam in ep. 31, 6 Asinius scripsit *nullum vestigium abs te discessurus sum.* Hinc coniecit L. scribendum esse *ab se suisque vestigium non discessuras*; qua coniectura imago a re venatoria ducta pessumdatur. Atque vide mihi Landgrafi rationem, quam Woelfflinius quoque (praef. pag. XXII et XXVI initio) amplexus est: contra codicum fidem mutat scripturam ab omni parte sanam, quod ea discrepet ab Asini usu. Quo facto haec ipsa nova scriptura inter argumenta refertur quibus luculenter appareat auctorem commentarii esse Asinium!

Restant igitur exemptis his quattuor locis duodeviginti, qui quid valeant, iam quaerendum est. Statim autem apparet aliquam probandi vim in eis tantum inesse locutionibus, quae solum occurrant in hoc libello et apud Asinium neque ab aliis eius aetatis scriptoribus usurpentur. Nam quae ex linguae communi usu sunt, vel inveniuntur apud alios scriptores, quorum sermo non pendet [1]) ex Asini genere dicendi (ut Livius et Velleius), his omnino nihil probari posse patet.

Hac ex ratione in Landgrafi argumenta postquam inquisiverunt Schneiderus I et II et Koehlerus II, ad eandem hi viri docti deducti sunt sententiam. Praeeunte enim Schneidero Koehlerus statuit, cum omnes quibus nisus esset Landgrafius elocutiones apud alios eiusdem aetatis scriptores occurrerent, neque Asinio soli essent propriae, vim probandi in eis inesse prorsus nullam.

Inveniri enim praeterea *pro contione* apud Sall. Iug. 8, 2 (vide inprimis Koehler II, p. 517). *quonam modo* apud Cornif. ad. Her. II, 27 et sexies apud Ciceronem. *in agris et in villis* ap. Cic. Verr. II, 92 (cfr. Koehl. II, 518, 4). *nactus occasionem* ap. Cic. ad fam. XII, 17, 2. Caes. bell.

1) In horum numero Sallustius quoque habendus est, qui aliquot annis natu m a i o r (sic! cfr. W. II, pag. 336) fuit Asinio.

civ. III, 9, 6. *utrobique* ap. Cic. de nat. deor. II, 79; de rep. III, 48, Nep. Hann. 10, 3. Nomen *Bogudis*, cum terminaret in dentalem, a scriptoribus latinis declinari non potuit nisi secundum declinationem tertiam (vide Koehl. II, 519, 7). *tenere in potestate* ap. Cic. ad Q. fr. I, 1, 38. Caes. bell. Gall. VII, 43, 1. Numerum singularem, si complures notantur legiones, apud Cic. Phil. V, 17; addo bell. Hisp. 30, 7. *cupidissime* (= libentissime) ap. Caes. bell. civ. I, 15, 2; addo Sall. Cat. 40, 4. Cic. pro Q. Roscio 49.

Circumscriptiones, quibus faciendi verbum regit substantivum verbale (As. ap. Suet. de gramm. 11 *adiutorium facere*; ap. Quint. VII, 2, 26 *medicinam factitasse*; ep. X, 33, 4 *seditionem facere*; in bell. Afr. saepissime, velut: *eruptionem f.*, *impressionem f.*, *salutationem f.*), pervulgatissimas fuisse in vitae cotidianae sermone loci docent sequentes, qui apud auctorem belli Hisp. inveniuntur: *eruptionem* f. (12, 6; 13, 6; 36, 2; 36, 4); *largitionem* (1, 4); *contentionem* (5, 5); *iugulationem* (16, 4); *transitionem* 26, 2); *deditionem* (27, 5; 36, 4); *iactus* (9, 4); *vitium* (19, 1); *concursum* (22, 4; 23, 5); *funus* (31, 9).

se ducere, se subducere ap. Cic. ad Q. fr. III, 4, 1; addo bell. Hisp. 18, 6 *se deducere*; 40, 2 *se reportare*. *depugnare* (= pugnare) apud Caes. bell. Gall. VII, 28, 1; addo bell. Hisp. 34, 3.

Multum denique in ea re inesse putavit L. momentum, quod Asinius et commentarii auctor pariter usi sint coniunctione *quia*. At hic consensus non modo nihil probare potest sed aperte facit contra Landgrafi sententiam. Etenim extat illa particula sexies in Pollionis epistulis 31, 2; 6; 32, 3 (bis); 33, 1; 5, sed semel tantum in toto commentario 71, 2 [1]). Contra altera coniunctio

1) 72, 1 *quia* ex Dresdensi interpolato in editiones quidem irrepsit, abest autem a libris bonis.

causalis *quod*, quae apud hunc scriptorem occurrit duodetricies, ab Asinio plane est aliena.

Sed haec non sola est diversitas sermonis, quae inter hunc commentarium et Asinii reliquias intercedit. Et quamquam W. gloriabundus prolocutus est (II, pag. 333): *Unter allen Umständen hat man* (i. e. ei, qui Landgrafi amplexi sunt sententiam) *das Recht zu verlangen, daſs, wer beide Verfasser als verschieden annimmt, eine gleich groſse und gleich charakteristische Anzahl von sprachlichen Differenzen aufweise; aber auf diesen Beweis wird der Gegner verzichten müssen*, tamen hoc munus aggrediemur.

Quod attinet ad substantivorum usum, ante omnia monendum est Asinium nunquam usurpasse d e m i n u t i v a, quibus auctor commentarii saepissime usus est; qua in componendi differentia summum inesse putaverim momentum. Praeterea pluralis vocabuli *frumenti*, qui legitur apud Asinium X, 33, 5, per totum commentarium, quamquam hoc substantivum vicies quater invenitur, nullo loco usurpatus est. Porro vocabulum *tabellarii* in epistulis quinquies legitur (31, 1 (bis); 4; 33, 1; 3), in commentario non invenias, sed auctor semper usurpat nomen *nuntii cum litteris* De vocativi denique forma *hercules* et *hercule*, et de nominum propriorum collocatione vide pag. 12.

Ad adiectivorum usum si transimus examinandum, primum occurrit adiectiva derivata in *-inus*, cum apud Asinium legatur *Hirtino — proelio* (X, 33, 4), in commentario non inveniri, sed ea sola, quae terminant in *-ianus*. ielut *Iuliani* (15, 2; 40, 2 eqs.). Deinde adiectivum. Asinio proprium *auxiliarius* (32, 5) in commentario non vnvenitur; immo *auxiliaris* legitur 59, 3. Adiectiva denique, quae huius commentarii auctor maxime amat [1]), velut *mirabilis* (10, 3; 13, 1 eqs.); *mirificus* (40, 5; 6 eqs.), cum

1) quam inscite docet 37, 4: *iugum ingens neque ita praealtum*.

specimen praebeant sermonis, quo volgus uti solet, apud Asinium frustra quaeras (cfr. de hoc usu Koehler I, pag. 463).

Si deinde in adverbiorum inquiremus usum, inveniemus adverbium *bene* quo vis augeatur adiectivi in commentario non occurrere, quamvis Asinius eo usus sit ep. 33, 4 *bene multos*. Porro apud Asinium (31, 2) legitur: *non frequenter, non dubitanter*; in commentario autem invenimus *incredibiliter* (52, 5), *inconstanter* (82, 1). Adverbium deinde *plane* quod mirum quantum amare Asinium W. ipse concedit (ep. 31, 2 [bis]; 5; 32, 1), huic scriptori omnino deest. Quod cum contra Landgrafi sententiam pugnare intellexisset W., coniecturam periclitatus huic succurrere studuit incommodo. Itaque cap. 21, 2 adverbium *paene* mutavit in *plane*, quam infeliciter infra videbimus.

Sed accedunt alia.

Vocula *quidem*, qua augeatur coniunctionum vis, ab auctore commentarii omnino est aliena. Asinius autem eandem saepius usurpat: 32, 3 *et quidem, cum quidem*; 33, 1 *si quidem*; idem apud Sen. suas. VI, 24. Item non occurrit in commentario *adeo*, quod bis (31, 2; 33, 5) in epistulis legitur. Particula denique *vero*, cum in tribus epistulis octies legatur (31, 2 [ter]; 32, 2; 3; 4 [bis]; 33, 4), in capitibus duodecentum semel occurrit: 48, 3. Nam 77, 4, cum solo codice D tradatur, delendam eam esse W. iam intellexit.

Mentione id quoque dignum videtur, quod commentarii auctor certis in elocutionibus negativis particulam *neque* evitasse videtur, velut 1, 4 *et nullam*. 45, 2 *non enim*. *enim — non* 20, 4; 58, 4. 18, 5 *atque — nullo negotio*. 26, 3 *ac nulla excusatione*. 3, 5 *namque nullus*. 47, 2 *opereque faciendo — non habebant*. idem 55, 1; 85, 3; 82, 3 [1]). 32, 2 *et — non*; idem 54, 6; 70, 1 eqs.

Similis dicendi licentia nunquam deprehenditur apud Asinium.

---

1) *sibi — non* L. *sibique — non* reliqui codd.

Quod ad coniunctionum attinet usum, primum occurrit, quod Asinius *posteaquam* praetulit (quo bis usus est, cum *postquam* semel tantum usurparet), et ei constanter indicativum perfecti subiunxit. Commentarii autem auctor *postquam* praetulit (invenitur enim tricies quinquies, cum *posteaquam* semel extet) et cum eo coniunxit varia tempora variosque modos (cfr. Froehl. I, p. 46). Porro *etsi* et *tametsi*, quod legitur apud Asinium 31, 1; 2; 6; 33, 1, a commentarii auctore alienissimum est. Causa qua W. hanc differentiam gravissimam excusare studet pag. XXVII nihili est.

Sequantur deinde nonnullae differentiae in verborum delectu.

Asinius 31, 6 scripsit *numero habere* sine praepositione[1]): in commentario praepositio addita est 85, 7 *in quo numero fuit*. *decedere*, ut idem significet ac *transfugere*, apud Asinium legitur ep. 32, 5; in commentario semper occurrit nomen *perfugiendi*: 32, 3; 35, 6; 51, 3; 56, 3. Asinius in epistulis vocabulo *necesse est* constanter subiunxit coniunctivum; in commentario autem non minus constanter infinitivus invenitur (cap. 50, 2; 69, 1).

Suas. VI, 24 Asinius *pollicendi* vocabulum coniungit cum inf. praes. Hic usus in commentario nunquam occurrit; sed semper inf. invenitur futuri (7, 1; 32, 1; 33, 1); nam 6, 7 nihil docet, cum id, quod legati pollicentur (i. e. affirmant, dicunt) *se paratos esse* ad tempus praesens spectet non ad futurum.

Nusquam deinde Asinius in enuntiatis relativis usus est plusquamperfecto pro imperfecto. At haec dicendi proprietas passim occurrit in commentario; vide W. ad cap. 43.

Collocatio quoque copulae apud utrumque auctorem diversa est quam maxime. Etenim apud auctorem com-

---

1) Schmalz (pag. 21) hanc Medicei scripturam sanam esse docuit.

mentarii studium animadvertitur copulae participio anteponendae; cfr. 2, 4 *est consecutus*; 4, 3 *erat mandatum*; idem: 4, 1; 5 (bis); 6, 1; 6, 4; 11, 4; 17, 2; 18, 5; 19, 4; 24, 3; 28, 4; 39, 3; 44, 2; 46, 1; 47, 1; 48, 1; 55, 3; 58, 4; 64, 2; 83, 4; 85, 9; 86, 1 eqs. Quod studium ab Asinio plane abhorret ep. 31, 1 *itum est*; *factus est*; *perlatae — essent*; *coeptum est*; § 3, § 5 (bis), § 6 (bis); ep. 32, 2; 3; 33, 1 (bis); 2; 3 (bis); 4 (ter); 5 (ter) eqs.; apud Sen. suas. VI, 24 *supervacuum est*; *obsecuta est*; *iudicandum — est*; *instructus erat*; apud Prisc. VIII, p. 386 *traducta — est*. Tribus tantum locis copula participio anteposita est: 31, 1 *adeo est — invisus mihi, ut — —*; 31, 3 *plane studeo esse salvos*; 33, 1 *essem futurus*.

Horum locorum alter et tertius nihil probare possunt ad demonstrandum illud studium — sunt enim plus triginta qui contrafaciant —; primo autem loco collocatio illa nata est non ex studio copulae anteponendae sed ut pronomen in fine enuntiati substituatur, id quod iterum gravissimum est discrimen, quod inter Asinium et auctorem commentarii intercedit; certissimum hoc fuisse Asini studium loci docent sequentes:

31, 6 *non scripsisse te mihi*; 31, 1 *adeo est — invisus mihi*; 31, 4 *praeceperant mihi*. Sen. suas. VI, 24 *fortuna — obsecuta est ei. venerant ei. tempestates coortae graves in eum.*

Apud auctorem autem commentarii talis collocationis studium cerni non potest. Eiusdem fere generis differentia haec est: apud Schmalz. pag. 53 leguntur haec: „*Die von Friedersdorff zu Liv. XXVI, 28, 9 als spezifisch livianisch erkannte Stellung, welche auch Pollio ad fam. X, 32, 5 hat exercitum c o n s e r v a t u m reipublicae e s s e, entstammt der Umgangssprache; durch Pollio und seine Nachfolger, —, wurde diese Stellung allgemein üblich.*“

E fragmentis huc spectant:

Sen. suas. VI, 24 *i u d i c a n d u m de homine e s t.*

Prisc. VIII, p. 386 *traducta ad custodiam Illyrici est.* Huius collocationis exemplum in commentario frustra quaeras.

Toto deinde caelo Asinius et hic scriptor distant in enuntiatis causalibus conformandis. In his enim Asinius usurpat indicativum, et ut vim augeat causalem *praesertim* addit: ep. 31, 6 *quae praesertim recuperari nullo negotio possunt*[1]); 33, 1 *quo tardius fierem certior —, Lepidus effecit, qui — retinuit.* At hic scriptor semper usurpat coniunctivum neque *praesertim* addit sed *quippe*: 19, 3 *quippe qui — sibi confideret*; 20, 3 *cuius inopia — esset*; 69, 5 *qui — nihil gustasset*; 81, 2 *qui numquam — dimicassent*; 84, 3 *qui — videret.*

In his subsistamus[2]).

Sed ut ea, quae superioribus sunt exposita, brevibus comprehendantur, res ita se habet:

Quas Landgrafius protulit ex Asinii reliquiis elocutiones, iniuria dignatus est nomine Asiniani sermonis speciminum: sunt enim ex huius aetatis communi linguae usu. Nullo igitur fundamento Landgrafi niti sententiam patet. Idem ut statuamus, praeterea adducimur cum difficultatibus illis, quae primo obtutu huic sententiae refragari visae sunt (v. pag. 9 sqs.), tum inprimis differentiis gravissimis, quae inter Asinii et auctoris anonymi intercedunt verborum delectum et compositionem.

Tamen omnia haec levidensia! Adest enim testis omnium locupletissima, ad quam nondum provocavimus, ipsam dico commentarii indolem.

Hanc nobis examinantibus apparet auctorem, si re vera fuisset unus e Caesaris familiaribus, vix allaturum fuisse causam tam falsam c. 7, 4 *equitatumque in navibus omnem continere* (Caesar), *ut arbitror, ne agri vastarentur.*

---

1) sic codex Mediceus; cfr. Schmalz, pag. 33.

2) cfr. Koehl. II, 527; aliae differentiae infra suis locis sequentur.

(Sine ullo dubio Mommsenus recte statuit fecisse hoc Caesarem ideo, ut ab hostibus repressus sine mora vela dare posset in altum. Nam ubi primum legiones VI omnes ei praesto fuerunt (cap. 11), equitatum exponere non amplius dubitavit; agros deinde iam ab hostibus vastatos esse scriptor ipse narrat 20, 4 et 26, 4.) Accedit quod Caesaris familiaris causam non tam dubitanter (*ut arbitror*) protulisset; id quod iterum animadvertimus 9, 2 *huc* (Ruspinam) *eum idcirco existimo se recepisse, ut marituma oppida post se ne vacua relinqueret.* Atque contra Woelfflinium monendum est ea quae narrantur 31, 4 potuisse observari non solum ab nuntiis ipsis et speculatoribus, verum etiam a primo quoque lixa, qui modo adesset prope tentorium. *Atque*[1]) *haec non ipse per se coram, cum de vallo prospecularetur, sed mirabili praeditus*[2]) *scientia bellandi in praetorio sedens per speculatores et nuntios imperabat, quae fieri volebat.*

Idem neglegenter tantum legit aut omnino non novit Caesaris commentarios de bello Gallico, quippe qui diceret 73, 2 *copias enim habebat* (Caesar) *in Gallia bellare consuetas locis campestribus et contra Gallos, homines apertos minimeque insidiosos, qui per virtutem non per dolum dimicare consuerunt.* Eundem denique apparet rei militaris disciplinae non admodum peritum fuisse. Nam eo tempore quo Caesaris salus sola posita erat in bello ducendo, ridiculum in modum (cfr. infra ad h. l.) excusare studet, cur Caesar acie non decertaverit: 31, 9 *Neque idcirco copias suas, quamquam erant paucae tironumque, non educebat in aciem, quod victoriae suorum diffideret, sed referre arbitrabatur, cuiusmodi victoria esset futura; turpe enim sibi existimabat tot rebus gestis — ab reliquis copiis adversariorum — ex fuga collectis se cruentam adeptum existimari victoriam.*

1) em. W., codices: *ad.* edd.: *at.*

2) em. Koehlerus, codd.: *peritus.*

Aliud denique iam Koehler II, pag. 525 optime monuit. Quaerentibus enim, quo animo Asinius eo tempore cum litteras ex Hispania Ciceroni dabat in Caesarem fuerit atque de eius rei publicae gerendae ratione senserit, vir apparet, qui quidem Caesarem ipsum *summa cum pietate et fide dilexit*, eius autem imperia *eo tempore atque ita fecit, ut appareret invito imperatum esse* (31, 3); qui Caesare regnante perspexit *quam misera sub dominatione* (eius) *vita esset.* Paulo autem postquam haec scripsit Landgrafius contendit eundem virum commentarium edidisse, in quo Considius (4, 1), Scipio eiusque comites (8, 5) dementes dicuntur, quod rempublicam defendebant; eodemque loco *vita sub dominatione Caesaris* laudatur aeque ac si esset incolumis libertas: *tanta homines esse dementia, ut malint regis esse vectigales quam cum civibus in patria in suis fortunis esse incolumes* (idem invenias 57, 3). c. 90, 1 vero civibus Romanis sceleri vertitur, quod contra hanc *vitam sub dominatione Caesaris miseram* armis et pecunia se defendere conati sunt. Has duas quae toto caelo distant opiniones ab uno eodemque homine eodem fere tempore proferri potuisse vix est credibile.

Reliquum est, ut quid ipsa libelli indoles nos doceat examinemus. Quod ut melius perspiciatur, ante omnia necessarium videtur imaginem adumbrare Asinii auctoris. Viri autem ingenium ac indoles cum ex perpaucis reliquiis certo perspici non iam possit, videndumst, quid antiqui de eius componendi arte iudicaverint. E quibus testis peritissimus, Quintilianus, in Asinio laudat tantam fuisse diligentiam, ut quibusdam etiam nimia videretur (Quint. X, 1, 113; XII, 10, 11). Quae qua in re apparuerit, his (X, 2, 7) inlustratur: *qui horride atque incomposite quidlibet frigidum illud et inane extulerunt, antiquis se pares credunt; qui carent cultu atque sententiis Atticis scilicet; tristes et ieiuni Pollionem imitantur; otiosi et supini, si*

quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locutum fuisse.

Unde certissime sequi videtur Asinium, qua fuerit diligentia, orationis inhibuisse elatam et copiosam ubertatem et ut severum Atticistam dedita opera attenuato studuisse pressoque dicendi generi. Id quod eiusdem testis iudicio (X, 1, 113) probatur: *a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior.*

Sed mirum non est, quod eis temporibus, cum vera eloquentia declamationibus corrupta iacebat, ab hoc dicendi et componendi genere alienissimi erant homines et id eo graviore vexabant vituperatione, quo maiore studio huic degeneratae eloquentiae dediti erant. Horum oratorum personam Tacitus quasi totum genus castigans in dialogo dicentem fecit M. Aprum: *Asinius — videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est.* Quod cum studiosius quam verius iudicatum esset, Tacitus (cap. 25) Messallam contradicentem fecit: *apud nos Cicero quidem ceteros . . . disertos antecessit; Calvus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus iure et prioribus et sequentibus anteponuntur; nec refert quod inter se specie differunt, cum genere consentiant: adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Caelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero. Omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae prae se ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumpseris scias quamvis in diversis ingeniis esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.*

Talis igitur oratoris severitas et brevitas cum Ciceronis dicendi ubertate et sublimitate, utpote genere diversissima, comparari nunquam debuit, et si comparatur, non Asiniani sermonis praestantia sed defectus apparet, ut apud Sen. phil. ep. 100, 7: *Pollionis Asinii compositio salebrosa et*

exsiliens et ubi minime exspectes relictura. Denique omnia apud Ciceronem desinunt, apud Pollionem cadunt.

Haec antiqui critici censuerunt de Asinio oratore. Idem autem simplex, pressum, attenuatum dicendi genus rerum scriptorem Asinium affectasse certo concludi potest et probatur sententia Senecae (suas. 6, 14), qui de Asinii iudicio in Ciceronem lato haec censet: *affirmare vobis possum nihil esse in historiis eius hoc quem rettuli loco disertius, ut mihi tunc non laudasse Ciceronem sed certasse cum Cicerone videretur.*

Attamen in hoc fragmento nulla insunt sermonis lumina, nulla ubertas, nulla sublimitas. Oratio pressa est et concisa; inprimis synonyma vocula *que* vel *et* cumulata non occurrunt. Quid? quod nonnulli contendunt viri docti Asinium facilem orationis cursum inhibendum ac morandum putasse (Thorb. pag. 116) velut pronominibus in fine enuntiati ponendis (cfr. supra pag. 18). Et similis prorsus indoles occurrit in epistulis illis servatis. Omnibus locis summa constantia ne dicam anxietate eloquentiae artes evitavit; nec verbum nec enuntiatum superfluum est; quam brevissime omnia exposita sunt. Tamen ad rem dilucide perspiciendam nihil deest.

Invenimus igitur virum, qui lingua commode et quam scitissime uti sciat.

Qualis autem scriptoris specimen auctor commentarii prae se fert?

Inquirentibus nobis talis homo apparet, in quo omnia ea insunt, quae deerant Asinio: cum summo artis rhetoricae studio coniuncta apertissima dilucide apteque dicendi inscitia.

Atque ut illud demonstretur paucis admodum opus est. Nam auctorem orationis granditatem summopere captasse Nipperdeius exemplis iam firmavit (quaest. Caes. pag. 22). — Id solum mentione dignum mihi videtur artificia quibus auctor elatum illud dicendi genus se conse-

cuturum speravit hominem sapere, qui rhetorica disciplina aut omnino non aut aliquantulum fuerit imbutus. Praeter infinitivi historici maximam copiam [1]) integris inprimis gravibusque studuit enuntiatorum clausulis [2]). Creberrimo deinde prothysteri [3]) figurae usu item eo tetendit, ut verborum collocatione exspectationi contraria animos legentium ad rei gravitatem adverteret [3]). Idemque haud ignoravit, ut oratio bene suaviterque decurreret, aliquanti esse momenti membrorum concinnitatem [4]) formarumque alliterationem [5]). Cui ille studio adeo indulsit, ut structuras usurpare auderet, quae aut omnino

1) Sed cum in hac structura scriptor nullum sibi modum constituisset (velut c. 20), factum est, ut ei omnes nervos detraheret; v. Froehl. I, pag. 28.

2) vide supra pag. 17 in fine, infra ad 20, 1.

3) Nonnullis locis apte ea usurpata videtur, velut 46, 4 *dimittendos gravissimumque edictum proponendum.* 21, 3 *incendebant atque expugnabant.* 54, 4 *abesse proficisci.* Saepius autem cur usurpata sit non intellegitur, velut 20, 1 *armare evocare.* 41, 2 *elephantis turritis interpositis* [*armatisque*]. (W. insulsa collocatione offensus *armatisque* delevit, praeterea autem scriptori haec compositio *turritus armatusque* familiaris est; cfr. 31, 3 *paratus armatusque.* 45, 3 *adversus armatusque.*) 23, 3 *prostratos perterritosque* e. q. s., cfr. ad 86, 3.

4) Huius figurae studium inde inprimis elucet, quod cum suum cuique enuntiato tribuerit verbum eiusdem ambitus enuntiata conformavit, velut 1, 5 *naves longae adaugeri, et onerariae complures eodem concurrere* et *legiones tironum convenire.* 23, 3 *naves avertit — classemque convertit.* 57, 3 *oboedientem fuisse — obtemperasse.* 46, 2 *nefario scelere contaminatos et caede civium saginatos.* Et sic passim, velut 18, 4; 32, 3; 40, 5; 42, 1; 44, 2; 52, 5; 55, 1; 85, 1; 86, 2 e. q. s.

5) Hinc inprimis elucet quaesitae eloquentiae studium. 74, 2 *diripiendum delendumque.* 19, 4 *campis planissimis purissimisque.* 20, 1 *tela tormentaque.* 44, 3 *campo collibusque.* 2, 5 *vento certo celerique navigio* (hinc chiasmus quoque natus est). 10, 3 *vultu vigore.* 20, 4; 26, 5 *dirui ac deleri.* 26, 4 *depositos derectosque.* 31, 1 *minutatim modesteque sine tumultu aut terrore.* 31, 5; 23, 3; 80, 5 *pulsis perterritisque.* 35, 2 *praemiis pollicitationibusque.* 40, 5 *pretio pollicitationibus.* 40, 3 *imperio et impulsu.* 45, 5 *in tua tenes potestate.* 71, 1 *veteranum victoremque.* 72, 3 *magnitudo multitudoque.*

insolitae sunt aut certe ambage offendunt [1]). Denique iam Froehl. (I, 21 seq.) animadvertit auctorem libentissime verborum usurpare compositiones, quae gravius ad aures accidant. Huc spectant cum ei loci, quibus composita propria praefixi vi neglecta usurpata sunt pro simplicibus [2]), tum inprimis anaphorae [3]), asyndeti polysyndeti [4]),

1) velut 11, 4 [*suae naves*] *in classem adversariorum* (cum chiasmo, cfr. infra ad hunc locum). 45, 5 *de negotio desistas* (*de* praepositio prorsus languet, cfr. 87, 7 *caede desistere*; bell. Gall. I, 45, 1; civ. III, 112, 11 *negotio desistere*). 18, 4 *ad insequendum hostem perseverandumque cursum.* 21, 2 [*deligatos*] — *deportare* (W. cum codice A. *deligatos* delevit. Scriptoris enim aetati aptum fuisse *obligatos*. Sed in verborum delectu examinando W. sibi ipsum non constare luculenter docet usus edocendi vocabuli (27, 2), quod legitur eo loco, quo ut glossema tolli non potest. Itaque W. ut probet hoc esse e bono sermonis usu ad Aeli Lampridi provocat verborum copiam. *Deligandi* autem vocabulum, cum *superfluum* sit facileque deleri possit, utique eiciendum esse censet, quod auctoris temporibus minime aptum apud auctores occurrat multo posteriores — Celsum scilicet et Quintilianum.) Sed redeat unde aberravit oratio: hinc denique iudicandum est de quibusdam compositionibus, quas scriptor constanti fere usu usurpat et in quibus pronomen possessivum prorsus abundat: 18, 5 *se ad suas recipiunt munitiones.* 17, 2 *ad sua praesidia sese recipere.* 75, 6 *ad sua se recipiunt signa.* 17, 1; 78, 8 *se ad suos recipere.* 70, 6 *ad suos se recipere.* 18, 5 *se ad sua praesidia conferre.*

2) exempla huius elocutionis, in qua praefixa non nisi ad augendam verborum simplicium vim respiciunt, fere omnia collegerunt Froehl. l. c. et Koehl. (I, pag. 381—389). Praetervidérunt verba perveniendi (cfr. ad 7, 1) et occurrendi (cfr. ad 85, 1). **Hic usus apud Asinium non cernitur.**

3) velut 8, 1 *ita imperabat* — *ita praecipiebat* 31, 9 *tot rebus gestis, tantisque exercitibus devictis tot tam claris victoriis partis.* 54, 4 *te removeo hodieque te ex Africa abesse iubeo* (sic cum codice L. W. quamquam pronomen prius non in archetypo extitit, tamen Leidensis scriptura maxime arridet). *itemque te . . . te ab exercitu dimitto.* 54, 4 . . . *quod . . . fecisti, quodque . . . inutilis fuisti.*

4) Utraque structura saepissime usus est, atque asyndeto, ut rerum gestarum celeritatem significaret, cum polysyndeto legentium animos ad rei gravitatem adverteret. Supersedeo exempla congerere omnia; pauca

litotis [1]) gradationis [2]) geminationis [3]) exempla. Hinc denique iudicandumst de verborum collocatione praeter usum solitum instituta velut 8, 1 *nihilo [tamen] minus*; 85, 3 *spatiumque se non dare colligendi*; 41, 1 *intra suas continere se munitiones coepit* e. q. s.; cfr. Froehl. (I, pag. 24—25) et infra ad 92, 1.

His certo apparet scriptorem operam navasse, ut compositio grandis videretur et elata (cfr. praeterea effusae eloquentiae exempla, quae tumoris speciem ostendunt, a Nipperdeio collecta pag. 22).

Fuitne autem is, penes quem tantum linguae cognitionis et usus esset, ut cum lingua ipsa nihil ei praeberet difficultatis, totum animum ad ornate ampleque scribendum advertere posset?

Minime. Ex altera enim parte idem commentarius docet scriptori plane defuisse usum scribendi. Summis versatur in scribendi difficultatibus. Compositio difficilis et quam

---

adponam. 3, 2 *Oppidani muros armatis complent, ante portam frequentes considunt . . . Caesar circum oppidum vectus natura loci perspecta redit in castra.* 63, 1 *Caesar . . . celeriter . . . certior factus . . . equo admisso . . . celeriter pervenit Leptim, ibique hortatur, . . . ut se naves consequerentur, . . . navigiolum conscendit, in cursu Aquilam . . . nactus hostium classem sequi coepit.* 14, 1 *subito adversariorum equitatus sese extendere et in latitudinem promovere collesque complecti et Caesaris equitatum extenuare simulque ad circumeundum comparere se coeperunt.* 31, 7 *munitiones . . . atque valli . . . altitudo et . . . stili caeci.* Tales structuras studio ab auctore quaesitas esse demonstratur 26, 4, ubi enuntiatum polysyndeto et aliis artificiis rhetoricis maxime ornatum asyndeto excipitur.

1) velut 5 *neque . . . abundabat.* 58, 4 *non sine ratione.* 81, 1 *non ignaviter.*

2) 20, 4 *dirui atque deleri.* 20, 4 *desertos ac vastatos.* 31, 5 *fugatis, pulsis perterritisque.* 36, 1 *libertinorum Afrorum, servorum . . cuiusque generis hominum* (cfr. ad hunc locum). 56, 3 *inlustriores notissimique.*

3) cfr. 10, 4; 15, 3 *omnia — omnes.* 58, 1 *universas omnium copias de castris omnibus educunt.* 15, 2 *magis magisque.*

maxime inhabilis ab eo conformari non patitur. Scriptor quidem, ut supra vidimus, quam maxime eo enititur: lingua autem superior discedit. Structura ablativi absoluti vel participii coniuncti ultimum est eius praesidium (cfr. velut 43; 53). Praeterea eiusdem rei documenta amplissima sunt anacoluthiae exempla satis multa (cfr. Nipp. pag. 23; Froehl. I, p. 39)[1], verborum enuntiatorumque collocatio[2])

1) Praeterviderunt 40, 5 *Caesar . . . animadvertit mirifica corpora Gallorum Germanorumque. Qui partim eius auctoritatem erant ex Gallia secuti, partim pretio pollicitationibus adducti ad eum se contulerant, nonnulli, qui ex Curionis proelio capti conservatique parem gratiam in fide praebenda praestare voluerant.* Pronomine *nonnulli* scriptor non sensit structuram inmutari et proprium verbum pronomini addere supersedit.

2) Inprimis huc spectat appositio a substantivo definiendo aliis verbis interpositis dirempta, velut 3, 1 [*cum equitatu*] *Adrumetum Cn. Piso, cum Mauris circiter tribus milibus.* 80, 3 *non longe a castris praesidioque, quod supra commemoravi, MD passibus . . . consedit.* 34, 6 *Caesar duplici laetitia ac voluptate uno tempore auctus,* [*frumento auxiliisque*]. 20, 1 *remigum partem* [*ex classe*], *Gallorum Rhodiorum . . . in castra evocare.* Idem cadit in enuntiata relativa, velut 63, 1 *Caesar . . . per nuntios in castris, dum opera circumiret, certior factus, quae aberant a portu milia pass. VI . . .* 6, 1 *atque equitatus subsidio uno tempore eis casu succurrit, qui erat missus a Iuba . . .* 20, 3 *litteras . . . mittere, ut sibi crates materiemque congeri* ⟨*iuberent*⟩ *ad arietes,* [*cuius inopia in Africa esset*] . . . (nam excidisse verbum primarium, unde penderet infinitivus *congeri*, consensus docet librorum omnium praeter A, qui hoc loco interpolatus exhibet *congererent*). 23, 1 *expeditoque exercitu numero* [*servorum liberorum*] *duum milium*, *cuius partem inermem partem armatam habuerat* (difficultatem evitare potuit, si pluralem usurpasset *quorum* pro *cuius*; sed eam non sensit). 43, 1 *Considius, qui Acyllam VIII cohortibus et stipendiariis Numidis Gaetulisque obsidebat* (cfr. 33, 3; 5), [*ubi C. Messius c u m cohortibus praeerat*] (nam codicis archetypi corruptela *qui* non tollenda, ut Aldus voluit, sed emendanda est in *cum*; cfr. 33, 3 *Adrumeti cum duabus legionibus . . . praeerat*; simil. 29, 2; 34, 2; 79, 1; 93, 1).

Omnibus fere his locis W. laxae collocationi mederi studuit verbis delendis. Sed ex omnibus pariter elucet eadem componendi inscitia: veritus ne quid omitteret animo festinante statim summam posuit rerum describendarum, post hanc haud curans structuram res substituit minoris momenti. Eadem collocatione laxa W. deceptus ad falsam interpre-

laxa duraque, inprimis autem parataxeos quaedam specimina [1]).

tationem deductus est 76, 1 *inspectantibus adversariis interfecto praesidio Scipionis, cum suis auxilium ferre non auderent* . . . hoc loco W. *adversariis* ad Sarsurae incolas revocat, parum apte. Nam vocabulum spectat ad Labienanos per colles procul subsecutos (75, 6), quos enuntiatum quoque paucis verbis post insequens *cum . . . auderent* significat.

1) Haec potissimum docent scriptorem usu scribendi minus exercitatum esse. Nam cum c o n i u n c t a sint, quae suapte natura s u b i u n c t a esse debebant, quae ratio inter singula enuntiata intercedat, propter sermonis componendi difficultatem exprimere eum non potuisse apparet; velut 5 *postquam . . . neque responsum . . . a Considio dabatur, neque ei reliquae copiae succurrebant, neque equitatu abundabat, et . . . non satis copiarum habebat et eas tironum, neque primo adventu convulnerari exercitum volebat et oppidi egregia munitio et difficilis erat . . . accessus, et nuntiabatur auxilia magna . . . oppidanis suppetias venire: non est visa ratio ad oppugnandum oppidum commorandi.* Ut defendat Caesaris rationem, scriptor quam plurimas afferre solet causas. Sic et hoc loco ad s e p t e m provocare videtur, sed si acrius examinabimus, apparebit non paris eas esse momenti, sed alias aliis subiunctas vel ex iis consectarias. Velut verba *neque ei reliquae . . . abundabat* non alteram et tertiam continent causam, cur Caesar oppugnatione destiterit, sed causam addunt, cur Caesar ad oppugnandum non satis copiarum habuerit. Plane simili modo verba *et oppidi egregia munitio . . . suppetias venire* non sextam et septimam causam afferunt, immo docent, cur convulnerari exercitum necesse fuerit. Praeterea membra *difficilis ad opp. accessus* et *oppidi egregia munitio* non ex aequo posita sunt, sed ex hoc illud est consectarium. Habemus igitur tres tantum causas, quibus Caesaris ratio defendatur. Infra deinde exponetur (v. pag. 53 adn. 3) 19, 3 scriptorem omnia turbasse, cum non is esset, qui aptam conformaret orationem obliquam. Strues illa verborum magna ex parte nata est inde, quod enuntiatum *et ita Labienum dixisse* . . . formam ostendit sententiae primariae, cum ex sententiarum connexu enuntiatum c a u s a l e sit oporteat: *eos* (hostes) *hac mente . . . venisse, ut . . . tirones . . . circumventi opprimerentur, cum Labienus dixisset . . . se tantam multitudinem auxiliorum adversariis Caesaris subministraturum, ut . . . vincerentur . . . atque superarentur.* Simul inde factum est, ut *tirones legionarii* non nisi durissime verbis *superarentur atque . . . vincerentur* ut subiectum suppleri possint. Item inelegantiorem more suo parataxin praetulit 24, 1, ubi causas expositurus, quibus factum sit, ut Caesariani gravi annona adflictarentur, quattuor adferre videtur, primam, *quod nondum . . . ab Sicilia . . . commeatus*

Nondum autem argumentorum copia exhausta. Nam scriptorem cogitata dilucide exprimere non posse ei loci *subportatus erat*; alteram: *nec per anni tempus in mari classes vagari poterant*; tertiam: *neque amplius milia passuum VI terrae Africae quoquo versus tenebant*; quartam: *pabulique inopia premebantur.* Sed statim altera non novam annonae causam adfert, sed primam explicat; itaque coniunctione *cum* ei subiungi debebat. Similiter quarta non causa est illius rei, sed ex tertia consectaria. Similiter 42, 1 *neque ex eo loco Scipionem progredi propius se animadvertisset locoque se magis defendere, quam in campo comminus consistere audere* . . . verba *locoque* . . . *audere* non novi aliquid docent, quod Caesar item animadverterat, sed explicant, cur Scipio propius non accesserit. Eodem prorsus modo statim in sequentibus: *non est visa ratio propius accedendi* . . ., *quoniam ibi praesidium Numidare esse cognoverat hostesque mediam aciem — oppido texisse et sibi difficile — esse intellexit* . . . *oppidum uno tempore oppugnare et in acie pugnare* verba *hostesque* . . . *texisse* non ea continent, quae Caesar illo tempore cognovit (nam cfr. 41, 3) sed causam addunt, cur Caesari et oppidum oppugnandum et in acie decertandum fuerit. Similiter 24, 4 veterani milites periculis inopiaque tali saepe erant conflictati, c u m multa bella confecissent, sed scriptor: *milites veterani, qui multa* . . . *bella confecissent e t periculis inopiaque tali saepe essent conflictati.* 28, 2 *Salienus* . . ., *qui M. Messalam* . . . *obsederat* . . . *idemque ornamenta triumphi Caesaris retinenda* . . . *curarat et ob has causas sibi timebat* verba *ob has causas* docent, quae sit horum enuntiatorum ratio. Porro c u m Caesar in hibernis exercitum non contineret, sed in tertio quartoque die procedendo castra communiret, opere faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem. Sed scriptor 47, 2 *ad hoc — incommodum accesserat, quod Caesar non* . . . *exercitum continebat, sed in tertio quartoque die* . . . *castra communibat, opere q u e faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem.* Saepius denique haec parataxis invenitur in structura ablativi absoluti, velut 41, 1 *Scipio suis male acceptis, occisis convulneratisque intra suas continere se munitiones coepit.* Alter ablativus *occisis conv.*, qui ex aequo adpositus est priori *suis male acceptis*, ei subiungendus fuit: *cum partim essent occisi, partim convulnerati.* Similiter 34, 6 *tandem suis hilaratis annonaque levata*; cfr. praeterea ad 87, 4.

Idem animadvertendum est in constructione participii coniuncti, velut 3, 3 Caesar circum oppidum, ut loci naturam perspiceret, equo vectus in castra rediit. Scriptor autem hoc enuntiatum sic conformavit: *Caesar circum oppidum vectus natura loci perspecta rediit in castra.*

Huius componendi laxitatis exempla aliqua tantum ex parte similiter comparata frustra quaesiveris in Pollionis scriptis.

certissime docent, ubi W. auctoris verba non intellexit [1]). Idem demonstratur ea re, quod saepius quo tendant pronomina et adverbia demonstrativa plane est obscurum [2]). Ac scriptor ipse sensisse videtur verbis simplicibus se non posse assequi sententias suas: itaque operam dedit, ut plurimorum verborum apparatu res gestas narraret. Sed in rebus quoque simplicissimis huic studio indulget neque sentit, quantopere verbis redundaverit. Praeterea autem id quoque cum ad hoc tantum verborum flumen deduxit, quod his se graviter moturum esse putavit legentium animos. Sed cum sententiae desint, nihil nisi verba sentimus inania et languida [3]).

---

1) cfr. infra ad 12, 2; 17, 1; 20, 4; 27, 1 (structurae ambiguitate deceptus falsam temptavit coniecturam, quam ipse in addendis retraxit); 27, 2; 59, 2; 4 (ubi parataxeos obscuritate deductus falsam recepit codicum LV scripturam); 5; 60, 2—4; 62, 3—5; 72, 2; 75, 3—5; 85, 5—6; 90, 1.

2) cfr. Froehl. (I, pag. 47—52); Koehl. I, pag. 414—417.

3) Optime hoc apparet nimia pronominum abundantia cum demonstrativorum tum possessivorum. Inprimis illa tam saepe a scriptore usurpata sunt idque tali modo, ut suspicio non desit, quin propria determinandi vi exuta ad significationem articuli definiti ea transierint, velut 50, 1 *ad eum collem, quem capere volebat.* 51, 1 *in eo colle, quo erat potitus.* 42, 1 *ex eo loco, quo constiterat* (nam vide 41, 3, ubi idem locus satis iam definitus est). Idem cadit in 48, 2 *cum eis copiis, quas commemoravi.* 85, 4 *ad ea castra, quae petebant.* 12, 3 *ad* [*eam*] *pugnam* (*eam* delevit Aldus, sed iniuria, ut reliquis probatur exemplis, etiamsi et A., quem W. secutus est, pronomen omisit). 25, 2 *oppidum . . . eius regni.* 51, 3 *eius oppidi.* 52, 1 *ab eo opere.* 52, 3 *eos convulneratos.* 19, 4 *hac spe atque ea fiducia* (*audacia*: O. em. L.) (cur editores *ea* deleant non exputo) e. q. s.; cfr. Froehl. I, pag. 52. Praeterea nimius quoque pronominis *suus* usus fastidium movet. Nam in eodem spatio, in quo Caesar his pronominibus usus est *septies*, ea usurpavit Asinius *duodecies*, auctor *centies*. Itaque ut sententiarum connexu patet, plane id languet sequentibus in compositionibus: 11, 4 [*suae naves*]; similiter 46, 4. 11, 4 [*sui milites*]; sim. 39, 2. 14, 3 *peditibus suis.* 18, 5 *sua praesidia*; sim. 21, 1. 20, 1 *suas copias*; sim. 20, 2; 25, 2; 32, 1; 36, 2; 37, 1; 41, 1; 42, 2; 55, 2; 71, 1; 73, 4; 74, 2. 21, 2 *saucios suos.* 20, 3 *castro-*

Quamvis quae antecedunt iam ita comparata sunt, ut hominibus sine praeoccupata opinione iudicantibus demon-

rum suorum; sim. 28, 1; 31, 5; 40, 4; 65, 2; 3; 75, 1; 78, 8. 25, 4 *suoque regno* (bis). 26, 3 *cum suis adversariis*; sim. 31, 9. 26, 3 *ab suis inimicis.* 27, 1 *ab sua acie*; sim. 41, 3; 42, 1; 59, 5; 60, 3. 28, 3 *peccatorum suorum.* 31, 8 *exercitus sui.* 26, 2 *ex suis oppidis.* 39, 2 *suasque munitiones*; sim. 40, 5; 41, 1; 48, 5; 51, 3; 58, 2; 4; 61, 2; 78, 2. 39, 4 *equitatus sui*; sim. 60, 4; 61, 5; 70, 1; 72, 1. 52, 3 *equitibus suis*; sim. 66, 3; 69, 2; 78, 3; 4; 5. 55, 2 *regni sui.* 59, 4 *in suo dextro cornu*; sim. 60, 2; 3. 59, 5 *multitudine sua*; id. 70, 3. 60, 4 *suum dextrum latus.* 62, 2 *commeatus sui.* 62, 4 *victus sui.* 70, 5 *omnes suos.* 75, 6 *sua — signa.* 88, 3 *liberis suis* (nam cfr. 91, 2; 3). 91, 3 *precibus suis.* 93, 2 *sui comites.* 94, 2 *a servo* [*suo*]. Huc proxime accedunt ei loci, ubi genetivi pronominis (*eius, eorum, suorum*) languent, velut: *eius agmen extremum*: 6, 1; 69, 1; 75, 3. 14, 3 *illorum equites.* 15, 1 *ordines suorum*; sim. 18, 5; 86, 1. 24, 2 *equitatus eorum.* 25, 2 *eius regnum.* 29, 3 [*eius*] *equitatus* (*eius*: om. A. del. W.). 30, 2 *exercitusque eius*; id. 69, 5. 26, 2 *de adversariorum eius crudelitate.* 29, 3 *eorum decurione percusso.* 44, 3 *ante suggestum* [*eius*] (*eius*: om. LP. del. edd.). 59, 5 *eius equitatus*; sim. 72, 2. 76, 2 *ab eius oppugnatione.* 77, 1 *in — eius regni regione.* 77, 2 *eorum probato consilio.* 81, 1 *animos eorum.* 87, 7 *sedandae eorum importunitatis gratia.* 72, 1 *hostium equitatui levique armatura* [*eorum*]. 90, 1 *bona —* [*eorum*]. 97, 2 *conventui eorum — conventui* [*eorum*] (*eorum*: om. LPV.). 72, 4 cui parti corporis eius quae pars corporis [eius]. Hic denique conferendi sunt ei loci, quibus genetivus substantivorum (inprimis *hostium*; cfr. infra ad 19, 1) nominumque propriorum otiosus videtur, velut 82, 3: *iniussu* [*Caesaris*]. W. quidem genetivum in suspicionem vocare conatus est, parum recte, nam cfr. 17, 1 *idem pars altera equitum peditumque Caesaris facit.* 28, 1 *naves — cum exercitu Caesaris.* 15, 3 *Caesarisque copiis.* Nam in universum monendum est scriptorem notabili inconstantia, quamquam pronomina plerumque abundanter, ut supra vidimus, usurpavit, tamen nonnullis locis, ne quidquam relinqueret incerti, quod suapte natura in pronomine inest, consulto nomina propria praetulisse, ubi pro serie sententiarum aut omnino ea omitti potuerunt, aut *pronomen* nostro sensui satisfacit, velut 3, 5 *quod minime Caesarem fefellerat* (pro *eum*). 15, 2 *Caesaris paucitatem* (pro *illius*). 11, 4 *Caesaris consilium.* 33, 2 *Quibus rebus . . . a Caesare impetratis . . . C. Messium . . . iubet proficisci.* 6, 1 *unde Caesar egressus* e. q. s. Idem cadit in reliqua nomina

strent, qualis fuerit scriptor ingenii, tamen ad gravissimum eiusdem rei testimonium nondum provocavimus. Supra enim exemplis firmatum est elato dicendi generi studuisse auctorem. Idem autem componendi quandam varietatem captasse videtur, si quidem nonnullis locis notiones subsequentibus mutavit synonymis. Sed his locis nihil nisi voluntas laudanda est, cum altera notio aut plane fuerit

---

propria Scipionis, Labieni, aliorum. Hinc iudicandum est de 3, 1 ... *praesidium* ..., *cui praeerat Considius, et* ... *cum equitatu* ... *Cn. Piso* ... *apparuit, ibi paulisper* [*Caesar*] *ante portum commoratus* ..., ubi post Considii et Pisonis nomina Caesaris diserta mentio, quam W. delevit, necessaria scriptori visa est, et de 5, 1 *non est visa ratio ad oppugnandum* ... *commorandi, ne dum in ea re* [*Caesar*] *esset occupatus, circumventus* ... *laboraret.* Hoc quoque loco W. *Caesar* resecuit. Sed per totum caput Caesaris mentio nondum facta erat; similia cfr. ad 82, 3. Quod si nimia sermonis abundantia aliis firmanda est documentis, ante omnia occurrit magna copia enuntiatorum relativo inductorum, quae nihil novi addant, sed iam cognita iterum repetant, velut 43 *Acyllam quam obsidebat.* 72, 2 *quae erant mirifica.* 69, 4 *qui inter equites pugnabant et una pariterque cum equitibus occurrere et refugere consueverant.* 86, 4 *ducemque requirerent* [*quem respicerent*], *cuius auctoritate* ... *rem gererent.* 9, 1 *ipse* r u r s u s, *unde pridie venerat, Ruspinam* ... *convertit.* 40, 1 *erat in* e o *campo, ubi ea res gerebatur, villa.* 40, 4 *legiones* ..., *quae pro castris erant instructae* (cfr. 38, 3). 50, 1 *eum collem, quem capere volebat* (cfr. totum c. 49). 51, 1 *in eo colle quo erat potitus.* 84, 3 *proboscidem* [*qua erat circumdatus*]. 36, 4 *castellum* ..., *in quod Iuba* b e l l i g e r e n d i g r a t i a *frumentum et res ceteras, quae ad bellum usui solent esse comportaverat* (similia huius generis cfr. ad 11, 4). 41, 3 *quas commemoravi*; similiter 41, 3; 48, 2; 73, 1; 80, 3; 32, 1; 51, 6; 69, 4; 24, 1; 34, 1; 74, 1. Alia exempla extant in cc. 6, 5; 8, 2 = 11, 4; 31, 7; 34, 5. Cfr. praeterea infra ad 26, 1; 48, 3; 85, 1; 91, 3; 94, 2. Sufficiant haec ad demonstrandam sermonis abundantiam, quae notanda est in totis enuntiatis. Nam omnia afferre modum excedat. Non minus autem redundat in singulis notionibus, cum mirum quantum amaverit synonyma cumulare, velut 25, 4—5 *sibi suoque regno* — *sibi suisque rebus* — *suis finibus oppidisque.* 56, 3 *agris finibusque.* 32, 4 *suis inimicis* [*adversariisque*] e. q. s. cfr. Froehl. I, pag. 17; Koehl. I, pag. 445; nos ad 26, 3; 73, 2.

superflua, aut melius pronomine potuerit suppleri [1]). Quodsi vel hinc sequitur auctorem suscepto negotio fuisse imparem, multo luculentius idem inde apparet, quod omnibus locis, ubi notionum varietas necessaria fuit, ea plane deest. Praeterquam quod quasdam quas sibi finxerat compositiones [2]) ubicunque fieri potuit usurpavit, eadem vocabula intra paucos versiculos saepius iterata aegre non tulit [3]).

1) Velut 7, 5 *remiges . . . nec opinantibus Caesarianis.* 10, 4 [*homines*] — *omnes* (mutatio studio est nata propter *omnes* — *omnia*). 15, 3 *omnibus* [*legionariis*] . . . *circumventis* [*Caesarisque copiis*] . . . *conpulsis.* 23, 3 *naves* — *classem.* 33, 5 *periculum suorum* — *pro multitudine hominum.* 33, 2 *milites* — *tirones.* 39, 3 *Numidas adorti . . . nonnullos* [*equites*] *convulneraverunt.* 39, 5 *Labienum* — *hostes.* 50, 3 *de rupe* — *summa collis.* 52, 1 *copias . . . legionarios.* 66, 3 *vim multitudinis* — *hostium copiis.* 69, 4 *hostes* — *Numidae levisque armatura* (haec notio cum insequenti relativo plane languet). 70, 2—3 *vim hostium . . . equitum Numidarum copiae.* 73, 4 *suas copias* — *legiones* (cfr. 15, 3 locum simillimum). 78, 4 *Iuliani* — *turmas Iulianas.* 78, 8 [*in hostes*] . . *adversarios.* 78, 6 *auxilia equestria . . . integros equites.* 79, 1 *adversarios* — *hostem* — *adversarios.* 60, 4 *equitatum . . .* [*his equitibus*].

2) cfr. Nipp. pag 21—24; Froehl. pag. 40—47. Nonnulla addam, velut 4, 2 *litteras dat perferendas*; id. 4, 4. 15, 1; 71, 2 *cursu facile vitabant.* 2, 5; 20, 4; 95, 2 *reliquae praeter paucas.* 40, 5; 6 *mirifica corpora.* 40, 5; 45, 3; 50, 2; 25, 4; 93, 3; 98, 2; 52, 5 *Scipione eiusque copiis.* 18, 2; 52, 3; 63, 2; 70, 4; 75, 5 *conversis equis.* 52, 3; 75, 3; 87, 5 *animo addito.* 86, 2; 92, 4 *lenitatem et clementiam.* 21, 1; 24, 4; 55, 2 *necessitate coactus.* 43, 1; 53, 1; 91, 3; 96, 1 *diu multumque.* 39, 4; 66, 2 *suis fugientibus suppetias ire.* 84, 1; 4 *stridore maximo* — *maximo cum stridore.* Decies invenitur enuntiati clausula: *ire contendit*; bis: *protinus fugere contendit*; quinquies *fugere contendit.* Haec sermonis proprietas apud Asinium et in reliquis commentariis non occurrit. Idem dicendum est de *subito* (viciens quinquies), *suppetiae* (septies) e. q. s.; similia cfr. ad 86, 3 et pag. 25 adn. 1.

3) Legitur enim in eodem versu 6, 3 *equites* — *equitum.* 20, 4 *facti* — *factam.* 31, 8 *hostium* — *hostium.* 78, 8 *quo facto* — *impressione facta.* 85, 9 *Caesaris* — [*Caesare*]. 89, 5 *extra oppidum* — (90, 1) *in oppidum.* 90, 1 [*eorum*] — *eorum.*

Omnino non sensisse videtur, quid languoris inde oreretur. Et quamquam plerumque quidem aegre eo deducimur, ut

---

Praeterea occurrit intra b i n o s versus:

2, 4 *naves* — [*naves*]. 7, 4 *petere* — *petere*. 18, 2 *suis* — [*suis*]. [⟨*se*⟩ *recipientes*] — . . . *se reciperent*. 8, 5 [*esse*] — *esse*. 19, 1 [*hostium*] — *hostium*. 19, 3; 20, 3 *in Africam* — *in Africa*. 24, 1 *itinere facto* — *castris factis*. 25, 2 *eius regnum* — *eius regni*. 39, 4 *s u i s* — *s u i s fugientibus*. 50, 4 *Labieni* — *Labienus*. 65, 2 *a castris* — *in castra*. 67, 3 *Caesaris* — *Caesarem*. 70, 1 *extremo agmine* — [*ad extremum agmen*]. 78, 6 *suis equitibus auxilia equestria* — *equites*. 79, 1 *loca* — *loca*. 88, 4 *vulnus* — [*vulnus*]. 91, 2 *oppido* — *in oppido Zama*. 92, 1 *se* — [*sibi*] — *seque*. 94, 1 *ferro* — [*ferro*].

Porro invenitur intra versus t e r n o s:

4, 1 *daret* — *data* — *dat*. 8, 1 *navibus longis* — *navibus longis*. 11, 1 *Caesar* — *Caesar*. 15, 2 *hostium* — *hostis* — *hostium*. 20, 4 *frumentum* — [*frumento*]; *Africa* — [*Africae*]. 25, 2 *oppidum* — *oppida* — *oppido*. 33, 3 *cum . . . cohortibus* — *cum cohortibus* — *cum copiis*. 45, 2 *beneficio* — *beneficio*. 63, 3 *hostium* — *hostium* — *hostium* (utraque notio ultima plane otiosa est). 72, 4 *cui parti corporis eius* — *quae pars corporis eius*. 74, 2 *ad oppidum* — *eo* (sc. oppido) — [*eius oppidi*] — *oppidum*. 79, 2 *Caesaris* — *Caesarem*.

Intra q u a t e r n o s deinde versus legitur:

7, 4 *navium* — *in navibus* — *in naves* — [*ex navibus*]. 14, 2 [*cum equitibus*] — *equites* — *equites*. 18, 4—5 *hostes* — *hostes* — *hostibus*. 20, 2 *copias* — *copias* — *copiae*. 39, 1 *adversariorum* — *hostium* — *hostem*. 42, 1 *ad oppidum* — *oppido* — *oppidum*. 49, 1 *occupare* — *occuparent* — *occupandi* (*capiendi* W.). 58, 4 *in oppido* — [*oppido*] — *ex oppido*. 60, 4 *equitatum* — [*his equitibus*] — *inter equites*. 76, 1 *oppido* — *ad oppidum Thysdram* — *oppidi*. 79, 1 *adversarios* — *hostem* — *adversarios*. 82, 3 *Caesare* — [*Caesaris*]. 87, 1 *ad oppidum* — *oppido* — [*eius oppidi*]. 87, 5 *Uticenses* — [*Uticam*] . . . *in oppidum* — *Uticenses*.

Porro invenitur intra versus q u i n o s:

5 *ad oppugnandum* — [*ad oppugnandum*] — *ad oppugnandum*. 27, 1 *lapillos mitteret* — *lapides mitti* — *lapidibus missis*. 72, 1—2 *quibus rebus* — *his rebus*. 81, 1 *conlocatis* — *conlocata* — *conlocatis*. 14, 2 *pedites* — [*pedites*] — *pedites* — *peditibus*.

S e n o s deinde intra versus legitur:

7, 2 *ad oppidum* — *ex oppido* — [*oppidi*] — [*in oppidum*] — *ab oppido*. 20, 1 *in castra conportare* — *in castra* †*vocare* — *deductis*

qui scribendi munus professus sit tantopere ab omni arte et elegantia destitutum esse fateamur, quantopere in hoc scriptore concedendum est, tamen in magna huius neglegentiae copia quicumque neutrius partis studiosus rem solam contemplabitur facere non poterit, quin in eandem discedat sententiam.

Sane omnia haec et languidae verbositatis et apertae scribendi inscitiae documenta nec Landgrafium fugerunt nec Woelfflinium: uterque libere professus est talia non quadrare in Asinium. Tantum autem afuit, ut sententiam suam his everti concederent, ut tollere illa studerent nota illa emendandi ratione: in pulchrum et perfectum opus quod Asinius edidisset interpolatorum libidinem tam licenter esse grassatam, ut languidum illud et laxum existeret dicendi genus; itaque editoris esse interpolamenta haec inter genuina auctoris verba inserta detegere et detecta delere.

---

in castra. 85, 4 *qui postquam* — *qui postquam* — *quo postquam* (*qui postquam* — et . . . *Quo postquam* W.).

Porro extat 60, 2—4 intra versus octo pronomen *suus* sexies, quamquam ne semel quidem necessarium erat, et 97, 1—2 intra versus novem invenitur *bonisque eorum venditis* — *bonis venditis eorum* — *conventui eorum* — *conventui* [*eorum*] — *bonaque eorum.* In eodem deinde enuntiato *coepi* verbum iteratum est 6, 2 *castra unde Caesar . . . iter facere coeperat*, *occupat et . . . agmen . . . insequi coeperunt.* Similiter 61, 2 *cum coepisset*, [*subito*] . . . [*coepit*] . . . *cum subito.*

Idem deinde enuntiati initium occurrit: 13, 1—2 *hostes interim . . . aciem derigunt . . . interim Caesar aciem derigit.* 38, 1—2 *Caesar* — *Caesar* (alterum nomen vacat). 78, 4—5 *quod ubi* — *quod ubi.* cfr. 85, 4.

Denique conferendi sunt loci sequentes:

10, 3 *exposita* — *expositos.* 23, 3 *avertit* — *convertit.* 63, 1 *equo admisso omissis omnibus rebus.* 25, 4 [*ex*]*pulsus expelleretur.* 36, 1 *submittere non intermittit.* 60, 5 *praesidio* — [*prae*]*misit.* 6, 1 *subsidio* — *succurrit.* 36, 4 *in montis loco* — *locatum.* 91, 2 *ut civibus interfectis . . . se insuper interficeret.* 20, 3 *nuntios mittere*, *ut . . . mitteretur.* 31, 9 *turpe sibi existimabat . . . se existimari* (idque eo loco, ubi studium granditatis apertissimum est; idem cadit supra in 10, 3). 75, 4 *eos inmissos . . . suppetias mittit.*

Hanc igitur secutus opinionem delendi munere non nimis modeste functus est editor recentissimus: trecentis fere locis detectam esse dicit interpolatorum manum. Quod quomodo factum sit ut probet, commentarium contendit tractatum esse in scholis; ad scholasticam provocat interpolationem, qua rariorum vocum interpretamenta, usitatiorum synonyma ex marginibus exemplarium in verba scriptoris immigraverint. At haec emendandi ratio ut semper fere lubrica est et incerta, sic et in hoc libello gravissimis dubitationibus obnoxia videtur esse. Nam primum quidem nullum omnino praesto est indicium, quo Caesaris commentarios in schola tractatos esse probetur. Nullum omnino scholiorum extat vestigium. Fere nunquam Caesaris auctoritas apud grammaticos vel rhetoricae artis magistros profertur. Nulla deinde excogitari potest causa, qua adducti hunc potissimum in schola tractaverint magistri commentarium, ex quo quid discere potuerint pueri nescitur. Magister denique quem sibi finxit Woelfflinius unus omnium stupidissimus fuisse putandus est, quippe qui planissima quaeque sibi adnotaverit (velut 7, 2 *ad portas* sc. oppidi; *ne quis introiret* sc. in oppidum; 35, 3 *proloqui* sc. verba; 2, 3 *reliquas* sc. naves; 51, 6 *quae dixi* sc. ante eqs.), obscura autem haud stulte omiserit (velut quid sit *catascopus*, *pyra*, *supercilium*, similia; quis (19, 4) Africam attigerit eqs.).

Itaque haec opinio omni caret probabilitate.

Iam autem si quaerimus quibus usus rationibus W. interpolationes investigaverit, has potissimum invenimus: primum quidem delevit quaecumque superflua ei visa sunt et molesta. Huiusmodi autem interpolamenta, si codices nullam praebent ansam certam, ex coniectura investigare, nisi causa cur inserta sint patet, semper res est ambigua, et plerumque nihil omnino certi demonstrari poterit. Inprimis saepius labetur is qui ut W. fecit non sine studio et opinione praeoccupata ad hanc rem aggressus erit.

Deinde omnia verba quibus carere nos posse putavit, sicubi in aliis codicibus alio loco posita leguntur aut omnino omissa sunt, utpote a grammatico addita delevit.

Hac autem cum niteretur codicum discrepantia, quid singuli codices sibi vindicarent auctoritatis, non quaesivit. Nam plurimum tribuit hac in re codicis Leidensis scripturis saepenumero singularibus, quasi is primarius veritatis testis scripturam nobis servaverit solus illibatam; quam parum recte, mox videbimus.

Itaque necessarium duxi totum retractare commentarium. Qua in disputatione eam ingressus sum viam, ut omnia ad solam codicum auctoritatem revocem. Tum ea demum delenda erunt, quae abhorrent et a linguae latinae indole et ab huius scriptoris usu, nec coniungi possunt cum rebus gestis.

Iam proximum est examinare, quae ratio inter singulos intercedat codices, ut tandem aliquando recensionis fundamentum firmum ponatur, cui emendatio scriptoris tuto superstrui possit.

II.

De codicum adfinitate et auctoritate quaesituro mihi praemittendum est me in huius solius commentarii finibus disputationem meam cohibiturum esse propterea, quod codicum A et L notitia accuratior non aliunde nisi ex Woelfflini huius commentarii editione peti potuit. Itaque quamquam persuasum habemus quae ex huius commentarii examine de codicum ratione enucleavimus in omnes quadrare, tamen hoc generaliter demonstrare invitis nobis relinquendum fuit quibus plena illorum codicum cognitio praesto erit.

Iam accedamus ad rem propositam. Notum est commentarios rerum a Caesare gestarum duabus contineri codicum familiis. De altera quae octo tantum de bello Gallico libros praebet hoc loco agendum non est. Hic de ea sola quaerendum est codicum stirpe qua cuncti commentarii propagantur. Cuius familiae codices, qui soli ad emendandos commentarios adhiberi nunc solent, hi sunt libri:

A = Ashburnhamensis nuper demum detectus et longe antiquissimus saec. IX vel X.
L = Leidensis saec. XII.
P = Parisinus sive Thuaneus saec. XII.
U = Ursinianus saec. XII.
F = Florentinus saec. XIII.
V = Vindobonensis saec. XII vel XIII ineuntis.
D et δ = duo Dresdenses saec. XIV.

Horum codicum duos, A dico et L, W. excussit. Reliquorum scripturas ex Duebneri editione petivimus, nisi quod codicem V, etsi ad emendandum libellum omnino nihil valet [1]), cum ad restituendam archetypi scripturam summi esse momenti perspexisse nobis videremur, denuo ipsi contulimus. Atque benevolentia et commendatione Kiesslingi, praeceptoris humanissimi, ac liberalitate praefectorum bibliothecarum Argentinensis et Vindobonensis factum est, ut Hartelius, vir clarissimus, codicem Argentoratum mittendum curaret. Facere non possum, quin his viris doctissimis, quorum beneficio id consecutus sum, hoc loco gratias agam quam maximas.

Quibuscunque igitur locis ab Em. Hoffmanno, qui in Duebneri gratiam codicem excussit, discessimus (quod paucis tantum locis factum est), accuratiore nitimur codicis collatione.

---

1) Semel solius Vindobenensis scripturam W. recepit 29, 1, sed immerito: *turmae . . . quae in s t a t i o n e esse solebant.* Cum enim et de Pompeianorum et de Caesarianorum agatur s t a t i o n i b u s, hoc cum reliquis codd. retinendum est. cfr. 46, 4.

His praemissis ad codicum adfinitatem accedamus examinandam. Omnes ex uno archetypo fluxisse O iam notum erat; cfr. praeterea W. praef. pag. XIII.

Quaerendum autem est, quonam modo septem illi codices ex O sint derivati. Id quod hac fere ratione explanatur.

Praebent enim:

ALPV	UFD
6, 1 et iter facere	iter facere* [1])
11, 4 nihil (*A* ne nihil = ne nihil)	uti nihil
12, 2 om*: exierat	addunt: exierat
15, 2 non conatur	conatur*
18, 1 CCC	MC
18, 2 at cohortes	atque hostes*
18, 4 tardiorem	tardiora*
18, 5 [2]) iam hostes iam mittendi *A*. iam hostes mittendi *PV*. iam hoste remittente *L*	cum iam hostes mitterent
18, 5 turmas* (turma *V*)	turmasque
18, 3 collem *AL*. colle *PV**	collemque
20, 1 interponerentur*	interponeretur
20, 2 quorum (eorum *L*)	cuius*
21, 3 singulae	singulas*
22, 2 funditus deletam	funditusque et deletam
24, 1 coniungit	se coniungit*
27, 2 audes *AV*. rudes *LP**	audere
28, 1 naves Caesarianas*	Caesarianas naves
31, 9 qui	quod* (quia *D*)

1) Asterisco notavi scripturas probandas.

2) Lectio huius loci plane incerta ex tribus scripturis conflata videtur esse, scilicet: *iam hoste . . . mittente. iam hosti — mittenti. cum iam hostes — mitterent.*

32, 3 fuissent	usi fuissent*
34, 6 hilaratis*	hilaratus
34, 6 annoneumque *AP*. acononeumque *V*. animum *L*.	annonaeque
35, 2 propere fugisse *AV*. prospere fugisse *P*. s̄pe fugae *L*	pro perfugis*
38, 2 postquam*	et postquam
Caesar paulisper*	paulisper
40, 3 restantes	resistentes
41, 2 instructam aciem	instructa acie*
47, 5 copiisque	coriisque
48, 4 inlectum *APV*. intellectum* *L*.	inlatum
50, 2 equites*	et equites
54, 4 quantum peto	quantum potest
54, 5 quantum peto (pote *A marg.*)	quantum potest
56, 3 non faciebat *AP*. commonefaciebat *V* (om. *Caesarem*). non latebat [1]) *L*	non fallebat*
58, 2 praetio	praediti*
60, 1 VIIII . VIII	VIIII et VIII
61, 5 postero die*	postero
62, 1 ab Utica progressus*	progressus
62, 3 Aquila*	at Aquila
70, 3 coronamque	coronaeque*
77, 2 tribus cum cohortibus *A*. cum tribus cohortibus *V*. cum cohortibus tribus *PL*	tribunum cum cohorte
80, 4 milites . . . deductos	milite . . . deducto*
83, 3 idem	item*

1) *non latebat*, quod W. ex codice interpolato L recepit, a scriptore alienum est. cfr. 3, 5; 75, 4; 80, 2.

88, 1 hortatus	hortatur*
89, 5 Damasippi qui	Damasippique*
90, 1 egit	agit
95, 2 cum*	eos
96, 2 id tempus	ad id tempus.
77, 1 p̄. r̄.	p. R. quod
38, 1 post.	postquam

Hanc locorum seriem considerantibus statim apparet, duos ab initio libros ex archetypo O transcriptos esse. Ex priore quem significabimus α manarunt codices ALPV, ex altero, β, fluxerunt UFD. Simul elucet neutrum codicem nec α nec β propriam sibi vindicare auctoritatem: genuina archetypi scriptura ex utroque codice α et β elicienda est. Sed non semper res tam dilucide simpliciterque conformata est, ut cum ALPV consentiant sicut locis supra allatis ultro appareat quid exaratum fuerit in codice α. Immo locis longe plurimis codicis α scriptura enucleanda est ex eis quae in codicibus varie propagantur. Quo in discrimine tum demum firmo nitimur fundamento, si novimus, quid singulis codicibus propter adfinitatem tribuendum sit auctoritatis. Qua in re examinanda origo codicis A utpote vetustissimi summi videtur esse momenti. Atque videmus hunc librum saepius cum altera stirpe conspirare velut:

AUF(D)	LPV
12, 2 arcessi*	arcessiri
14, 1 equitatum	equitatus (equites *P* pr. m.)
15, 1 pilum*	palam
18, 1 recta*	recto
19, 4 purissimisque*	plurimisque
28, 2 discessisset*	discessit sed
28, 2 Messalam*	Messalem
35, 4 quo id*	quod id (*vide* 54, 4 q̱ = quod)
36, 1 sub manum*	summanum (sum̄am manum *L*)

39, 2 necesseque*	necesse
44, 3 certo scio*	certo (cerno *L*)
47, 3 ita ex Sicilia*	ex Sicilia
47, 6 pendere	pondere*
47, 6 V*	II
48, 1 elephantisque*	elephantis
48, 3 cuivis*	cuius
51, 6 sub hoste*	sub hostes
54, 5 quantum pote abesse* *A*. quantum potest abesse *UF*. quantum potis abesse *D*	quantum peto abesse
57, 1 quos	quod*
60, 1 ordiar*	ordinaret
62, 1 VII et VIII	VII et VIIII
62, 3 se longius*	longius
64, 2 ignovit*	ignoravit
78, 8 usque	usque ad
81, 1 cornua quinis*	cornua a quinis
83, 2 frequentes*	frequenter
93, 2 in itinere*	itinere
97, 2 conventui eorum*	conventui

Ex his exemplis sequitur, ut LPV ex communi libro archetypo fluxerint qui apographum fuit libri α quemque brevitatis causa λ nominabo, cum A propria derivatione vestustiore tempore ex α deductus sit. Sed longius progredi licet: V quoque propriam sibi vindicat et diversam a LP originem, ita ut ex λ duos codices descriptos esse statuendum sit, quorum alter υ fons fuit Vindobonensis, ex altero π manarunt LP. Atque υ propioris cognationis vinculo cum archetypo libri A coniunctum fuisse haec docent exempla :

AV	LP
5, 1 in ea re*	in ea
7, 1 pollicentur*	pollicerentur

7, 6 inter*	in
10, 3 solatium† [1]	solatii*
12, 2 quorum parvus ex castris numerus†	quorum parvus numerus ex castris*
13, 1 mirabili longitudine*	longitudinem
13, 1 equitum†	equitatum
16, 1 mehercule*	meherculem
18, 4 recentis†	recenti*
19, 2 circumventi*	circumdati
19, 4 quater*	quartum
20, 4 importaticio*	importato
20, 4 priore anno enim*	priore enim anno
22, 4	quinque verba omittunt
24, 2 atque aquandi†	aut aquandi*
26, 3 missis*	mittit
26, 4 nuntiumque in Siciliam*	nuntiumque
27, 2 audes†	rudes*
28, 1 advertisset*	adverteret
28, 1 eidem*	eisdem *P.* eis *L*
34, 2 familiae suae*	familiae *P.* familia *L*
34, 2 praesidio praeerat*	praeerat praesidio
35, 2 propere fugisset†	prospere fugisse *P.* specie fugae *L*
36, 2 in quod*	in quo
36, 4 est potius†	est potitus*
38, 3 passus CCCC*	CCCC passus
39, 2 deturbarent*	turbarent
41, 2 leniter accessit*	accessit leniter
45, 2 isto uterer*	uterer isto
45, 3 egone*	ergone
45, 5 tenes potestate*	potestate tenes
45, 5 ex virtute nostra intelleges*	intelleges ex virtute nostra

1) Signo crucis notavimus A et V his locis solos consentire,

50, 2 subito se Caesari*	Caesari se subito
53, 1 naves Caesarianas*	Caesarianas naves.
56, 1 contraque	contra*
59, 5 id hoc*	id quod *P.* id quidem *L*
60, 2 ipsum	fere
66, 1 Caesar interim*	Caesar
66, 1 certior*	interim certior
69, 2 inferre*	inferri
69, 2 acerbum†	acervum
69, 2 comportare*†	comportari
70, 1 in horis	in horam*
70, 4 interim	autem*
72, 4 quos	quod
72, 4 stridorem*	stridoremque
72, 5 atque in*	atque
75, 2 atque iter*	atque
78, 1 numero*	numerum
85, 7 item*	interim
87, 3 fossaque*	fossisque
90, 3 bis milies *V.* bis mille *A*	miliens *P.* milia *L*
91, 2 se ipse*	ipse se
95, 1	eandem praebent lacunam verborum IV

In his subsistam. Quod saepe V cum A consentit, ubi LP communem praebent variam et plerumque falsam scripturam, id inde explicandum esse patet, quod liber v fidelius α expresserit, cum librarius codicis π neglegentius archetypum descripserit. Et mentione dignum videtur, quod tum reliqui quoque codd. UFD consentire solent cum codicibus A et V exceptis novem illis locis, ubi nota adpicta A et V solos consentire significavi; solent autem in eisdem π et β dissentire exceptis 13, 1; 24, 2.

Iam nova oritur quaestio, utrum ex hoc codice π

uterque codex singillatim derivatus sit, an L e P, qui tum solus fluxerit e π. Fuerunt viri docti qui hoc contenderent. Sed adsunt quamvis haud ita multi loci qui hanc sententiam falsam esse docent. Nonnunquam enim L et V consentiunt, ubi v et π eandem praebuisse scripturam apparet. Librarii autem codicis P sive socordia sive emendandi studio factum est, ut alia transcriberet ac in π inveniret:

LV	P
10, 4 omnes†	homines*
11, 3 equitatumque†	equitumque*
14, 1 equitatus*	equites†
28, 1 adortus*	id adortus†
33, 1 praesidium*	praedium†
31, 2 intra munitiones*	in munitiones†
33, 4 celeriter†	celerius*
40, 5 partienda	perventa†|
43 admotis*	anotis†
44, 2 veterani*	veteri†
54, 5 in meo exercitu†*	meo exercitu
54, 5 abesse*	esse (*cum D*)
57, 2 praeterea*	praetea†
57, 4 superius†	superbius*
59, 4 autem†	enim*
61, 4 Scipio laetus	laetus†
63, 3 nave*	naves†
85, 2 se in oppidum*	in oppidum se†
97, 1 Zamae (*cum A*)	Zama*
98, 1 ac†	et
98, 2 duodetricesimo*	duodetricentesimo†

His locis comprobatur L codicem non fluxisse ex P, sed utrumque pariter transcriptum esse e codice π. Quae res ideo est diiudicatu difficilior, quod L permultis locis foedatus est coniecturis saepe veris, saepius falsis. Et non-

nunquam casu factum est, ut librarii codicum A et L in eandem inciderent coniecturam velut 64, 1, ubi O particulam *que* omiserat: *ob periurium perfidiam* (em. Aldus: *ob p. perfidiamque*). Illud fide servaverant codicum β, υ, π librarii (*operi urtum* V. *opperi urtum* P); L et A interpolati praebent *ob periurii perfidiam*.

Praeterea A et L locis consentiunt hisce:

AL:	reliqui:
14, 1 coeperunt*†	coeperant
18, 4 nausia	nausias *PV*
18, 5 post collem†	post colle*
22, 5 efflagitatum*†	et flagitatum
60, 3 contulerat*†	contulerant
61, 1 diei†	die*
62, 2 adventu†	adventus*
74, 2 idem *ALU*	id
85, 5 armis† AL_1. armis missis† L_1	armis dimissis*
85, 9 itaque omnes†	itaque ·I· omnes
87, 4 adorti*	adhorti
21, 4 comportari†	subportari*
21, 1 circumire cotidie†	cotidie circumire
75, 2 sarcinis interceptis†	interceptis sarcinis*

Horum locorum multo maior pars in rei orthographicae quisquiliis versatur. In ultimis tantum tribus exemplis aliquantisper haereas. Sed quod in AL 21, 4 mendose legitur *comportari* pro *subportari*, facile casu natum est, cum antecedat *commeatus*. 21, 1 certo turbatam pariter praebent verborum collocationem. Solet enim scriptor *cotidie* verbo praeponere, sicut praebent PV et β: 29, 1 *cotidie — depugnare non intermittunt*; idem 30, 1; 36, 1; 61, 6; 61, 8; 65, 3.

Multo rarius autem P cum A consentit:

AP	
56, 3 non faciebat [1])	commonefaciebat *V*. non latebat *L*
63, 1 p. a.	postea *reliqui*
65, 1 flam [2])	quod cum nihil significaret, *om. LV*
72, 4 captarum [3])	captirum *L*. capturum *VUF*
85, 1 parent	parerent *L*. pararent *VUF*
86, 1 aestatim [4])	estatim *L*. statim *V*

Sed haec levioris sunt momenti. Graviora ea, quibus P magis consentire apparet cum V quam cum L.

PV	L
11, 4 in praesidiis relicti†	qui in praesidiis relicti quit†
18, 4 iam hostes	iam hoste†
21, 3 vacabantur†	vagabantur*
28, 2 ob causas†	ob has causas*
31, 7 ad defendendum†	quae ad defendendum*
41, 3 dextrumque sinistrumque†	dextrum sinistrumque*
43 proficisceretur†	proficeret*
54, 5 militibusque	militibus quibus†
66, 3 cum equites . . . cum . . . non possent†	cum equites ... non possent†*
73, 2 quod vitaret†	quid vitare*
78, 7 minuatimque†	minutatimque*
80, 2 muniti†	munito*
90, 1 si eis (V_1)†	se eis (V_2)*
95, 2 liberi†	liberis*

(Sed 69, 1 V habet *quae tum*, non ut vulgo adnotatur *quaestum* PV).

1) *fallebat* β*.

2) *clam* β*.

3) *capta* codex Norvicianus*.

4) *ac statim* β*.

Itaque omnibus fere his locis librarius codicis L menda quae extiterunt in λ coniectura plerumque felici tollere studuit. Eademque autem PV fideliter servaverunt.

Itaque quo fuerit librarius codicis L ingenio, aliqua saltem ex parte iam nunc cognitum habemus.

Iam transeamus ad familiam alteram. Cuius de archetypo β cum iudicium ferendum sit, in universum aestimantibus dubium esse non potest, quin fuerit codice α multo magis et corruptelis et interpolationibus temptatus (cfr. pag. 39). Accedit quod omnia tria huius stirpis exempla UFD nobis ex Duebneri collationibus nota archetypi β scripturam non pure reddiderunt, sed alia plus, alia minus contaminationis ex alterius exemplaribus passa esse videntur. Quod quam maxime cadit in D: nam UF sicut iam W. intellexit artissimo vinculo coniuncti sunt, ita ut utrumque ex uno eodemque exemplo fluxisse pro certo sit statuendum. Sed in D viginti fere locis in rasura codicis alicuius illius familiae scriptura legitur, ubi ab initio lectio codicis β fuerat exarata, velut 15, 1 D_1 cum UF: *conatur.* D_2 cum α: *non conatur.* 19, 3 D_1 cum UF: *condocuerat.* D_2 cum α: *condidicerat.* 20, 2 D_1 cum UF: *cuius.* D_2 cum α: *quorum* eqs. Id autem exemplar ex quo D correctus est fluxit aut ex ipso A aut ex codice huic cognatissimo. Facit enim cum A locis sequentibus:

AD_2	reliqui et D_1
8, 4 ut si	uti
8, 5 regis	regis esse
19, 3 quippe	quippe quis
19, 3 equoque uti frenato	uti frenato
19, 3 conscriptae et	conscriptae ex
50, 2 ut praeterea	et praeterea
58, 4 verebatur	vertebaturque *D_1*. verebaturque *UF*

61, 5 Leptim frumentandi gratia *A*. Leptim frumentandi causa D_2	Leptim
68, 4 eq. Ro.	eq. p. ro.
76, 2 quarta vigilia	quarta die

Quodsi his locis codex D secundum A correctus est, sequentibus prioris iam manus scripturae cum illo consentiunt:

2, 6 deinde (*reliqui* dein). 5 ascensus (accessus). 6, 7 polliceri (et polliceri). 18, 4 recentis (recenti). 19, 3 maxima (maxima autem). 22, 2 arduis (uarduis). 29, 2 IIII (III). 29, 3 stare (facere D_2). 31, 9 suae (suorum). 48, 2 eis (eius). 61, 8 ita ut duces (ita duces). 63, 1 moratur (hortatur λ, oratur *UF*). 70, 4 numerum (numero). 72, 4 reformidarent (reformidare). 74, 2 adveniente (advenientem). 75, 2 ad se (ab se). 84, 1 in sinistro (sinistro). 86, 3 veteranorum (veteranum). 88, 2 proficiscerentur (proficisceretur) eqs.

Idem autem exemplar nonnulla cum codice λ habuerat communia:

15, 1 palam (*reliqui* pilum). 17, 1 recepit (recipit). 47, 3 usui (usu *A*, usus *UF*). 47, 6 pondere (pendere). 57, 1 quod (quos). 60, 1 ordinaret (ordiar). 78, 8 usque ad collem (usque collem). 97, 1 ibi (ibique).

Huc accedunt alii loci, quibus D et *v* consentiunt:

47, 1 vigiliarum (*reliqui* vergiliarum). 53, 1 conspicatae (conspicati). 56, 1 usque eo quo (usque eo ut *A*, usque eo π, usque eo quod *UF*). 72, 2 erat (erant). 74, 2 cucurrisse (adcucurrisse). 81, 1 incitabat (excitabat).

Cum π consentit D: 20, 4 importato (*reliqui* importaticio). 22, 4 maiorum dignitate (dignitate maiorum). 56, 1 contra (contraque).


Idem denique D cum tribus tantum locis (54, 5 *esse* [rel. *abesse*], 92, 1 *oppidumque se* [*oppidum seque*], 95, 2 *interfecit* [*interficit*]) cum P consentiat, saepius facit cum L:

4

3, 1 D_2 equitum (*reliqui* equites). 12, 1 cum Caesar iam (cum iam Caesar). 18, 1 occurrerunt (occurrunt). 22, 2 D_2 privatusque adulescentulus (privatus atque adulescentulus). 26, 4 dispositos (depositos). 26, 5 se esse (sese *α*; esse *UF*). 48, 5 recepit (recipit). 51, 2 planicie (planiciem), sinistrumque (sinistramque), convenirent (conveniret). 57, 5 etiam (etiam et). 62, 4 partim (parum). 63, 5 omnibus (omnibusque). 67, 2 invento (iumento). 71, 2 interficiebant (interficiebat). 75, 3 capere (carpere). 75, 6 desistit (destitit). 78, 8 sublati (sui sublati). 85, 4 se (sese). 87, 2 praecurrisset (praecucurrisset). 87, 3 munierat (muniverat). 89, 4 proiecit (proicit). 91, 1 munierat operibus maximis (operibus maximis muniverat). 91, 2 deinde (dein).

Persaepe igitur apparet codicem D scripturas praebere, quae pariter inveniantur in singulis alterius familiae libris; itaque exemplum illud contaminatum esse certo certius est. Unde simul sequitur, ut prorsus nihil ei rei tribuendum sit, quod A vetustissimus tam saepe cum D recentissimo conspiret: valde verebimur huic consensui ex contaminatione orto eam impertire auctoritatem, quam W. ei tribuit praef. pag. XIV.

Sed pervenimus, quo tota haec tetendit inquisitio: nam ex eis quae exposui, hoc codicum stemma emergit:



Iam ultro apparet, quae ratio in emendando commentario sequenda sit. Ante omnia contra W. monendum est singulos codices contra reliquorum consensum nihil fere sibi vindicare posse auctoritatis, sed ex coniunctis α et β testimoniis archetypi O scripturam esse eliciendam. Sane potuit A ut testis antiquissimus ex codice α genuinam archetypi O scripturam a librariis codicum λ et β depravatam transcribere: quam raro id factum sit, vel ipsius W. editio monstrat, qui perraro solitarias libri scripturas recepit. Et sine dubio A solus verum servavit locis sequentibus:

11, 4 ne (nihil *reliqui*). 26, 3 accitis (agitis *reliqui*), in Siciliam (in Siciliam missis). 28, 4 traditi (traditis *VUF*, sunt traditi π). 39, 2 imperat ut (imperat). 54, 5 pote (peto). 56, 1 usque eo ut. 61, 5 frumentandi gratia [1]) (rel. om.). 62, 5 penteres (penteremes). 69, 1 quae eum (tum λ, cum β). 71, 1 condocefacere — praecipere (condocefaceret — praeciperet). 72, 4 ornatusque (oneratusque). 76, 2 quarta vigilia. 77, 2 tribus cum cohortibus. 78, 2 oppidi (oppido). 75, 1 interiecto (circumiecto). 88, 6 ut aliquid (aliquid).

Praeter hos locos aliis quoque permultis W. huius solius codicis auctoritatem secutus est: at nisi demonstrari potest scripturam quam praebent pariter λ et β falsam esse, codicis A librarius mendosa rettulisse censendus est. Taceo hoc loco de reliquis corruptelis, quae in A inveniuntur (sunt plus ducentis). Etenim iam inde codicis neglegentia dilucide apparet, quod quadraginta locis verba omisit, quae W. quoque ab omni parte necessaria videntur:

2, 5 certo. 3, 2 numerus. 9, 2 idcirco. 10, 1 ab.

---

1) Fortasse autem haec verba interpolatori debentur, cuius vestigia certa in codice non desunt; cfr. 19, 3 *equoque*. 83, 2 *plumbique itata* (insertum e 20, 3). 34, 3 *frumenti et vini* (om. *invento*, i. e. *frumenti et vini invento*).

16, 1 tiro. 18, 5 languide. 19, 3 qui, autem. 21, 1 et. 22, 2 in, armis. 26, 5 enim. 43, 1 et. 48, 1 contra. 48, 3 Iubae. 50, 3 sive. 54, 2—3 om. undecim voc. 54, 4 om. voc. novem. 57, 1 eo. 60, 4 ut, laborabat. 62, 5 in salo. 63, 1 navigiolum. 65, 1 in. 69, 2 sarcinas. 72, 2 se. 81, 1—2 om. duodeviginti voc. 82, 1 in. 82, 4 om. septem voc. 83, 1 quod postquam. 88, 6 ex. 89, 2 vitam. 89, 5 pro. 92, 1 Zamenses. 96, 1 peterent. 97, 1 contra. 97, 2 et 98, 2 om. novena vocabula.

Compluribus autem locis W. resecuit vocabula unius codicis A nisus auctoritate: at omnibus his locis demonstrari potest verba a codice omissa aut nihil praebere difficultatis aut usu defendi scriptoris.

Sunt enim loci sequentes:

1, 2 *hoc eo consilio fecit, ne quis [sibi]* [1]) *morae quicquam fore speraret* —.

2, 2 *et insulam petere Aponianam, quae [ab]* [2])*est a Lilybaeo* —.

4, 4 *in conspectu suo [statim]* [3]) *captivum interfici iubet.*

8, 5 *ut malint regis [esse]* [4]) *vectigales, quam cum civibus in patria in suis fortunis esse incolumes.*

---

1) Pronomen *sibi* cum archetypo (= λ + β) restituendum est; cfr. praeterea Cic. Cat. I, 9 *dixisti paulum tibi esse etiam nunc morae.*

2) cfr. 10, 1 *abest ab oppido*; id. 53, 1; 63, 1; 41, 2; 69, 1; 25, 4; 68, 1; semel legitur *esse a* (68, 1) 38, 2.

3) Quod si utraque notio *in conspectu* — *statim* ad tempus refertur (id quod opus non est; nam *in conspectu* spectare potest ad locum, *statim* ad tempus), tum scriptor hoc loco pariter abundat ut 42, 1 *simul* — *uno tempore*, 51, 6 *dum haec fiebant* — *interim*. 19, 1 *interim ea re gesta*; similiter 85, 3; cfr. praeterea ad 26, 3.

4) Etenim scriptor amat suum cuique enuntiato addere verbum; quo de studio supra exposuimus pag. 24 adn. 4. Iure autem offendimur hoc loco, quod idem usurpavit vocabulum *esse* — *esse*. At hinc elucet scriptoris scribendi inscitia. cfr. pag. 33 adn. 3.

11, 4 *neque eam rem eos* (Caesarem) *voluisse scire, qui in praesidiis relicti [sui milites]* [1]) *fuissent.*

12, 3 *iamque cum procul hostis conspici posset, milites in campo iubet galeari et ad [eam]* [2]) *pugnam parari.*

19, 2 *ex quibus cognitum est consilium hostium eos hac mente et conatu venisse, ut novo atque inusitato genere proelii tirones legionarii paucique perturbati — ab equitatu circumventi opprimerentur, et ita Labienum — dixisse — tantam sese multitudinem auxiliorum adversariis [Caesaris]* [3]) *subministraturum, ut — defatigati vincerentur atque a suis superarentur —.*

21, 2 *Labienus saucios suos — iubet in plostris [deligatos]* [4]) *Adrumetum deportari.*

---

1) Concedendum est horum verborum collocationem paullo esse duriorem (aptius enim fuit ea interponere enuntiato primario). Sed defenditur loco simillimo 97, 1 *bonisque eorum venditis, qui cives Romani contra populum Romanum arma tulerant.* Hoc enim loco mentio civium R. ideo enuntiato relativo inserta est, ut iuxta posita contrarium augeat populi R. Eandem ob causam nomen *Romani* bis positum est. Fortasse huc quoque spectat 15, 2 *qui equites Iuliani — paulatim cedere.* Sed cfr. infra ad hunc locum.

2) cfr. partem alteram pag. 30 adn. 3.

3) Omnes editores omiserunt mentionem *Caesaris*; quae coniectura etsi codicis A auctoritate nunc videtur probari, refellitur enuntiati totius structura. Nam verba *tantam sese multitudinem* eqs. aut referunt oratione obliqua verba Labieni aut ea continent, quae Caesariani ex perfugis cognoverint. Secundum hanc structurae ambiguitatem aut Labienus logicum enuntiati pendentis subiectum est aut Caesariani. Si Labienus subiectum est, *adversariis* ad Labieni adversarios referendum esset: haec ut evitetur sententiae ambiguitas, cum plerique primo obtutu facere non possint, quin verba *tantam — superarentur* pro Labieni oratione obliqua habeant, Caesaris mentio necessaria est: nam Labienus auxilia suis tantum copiis subministrare potest. His igitur verbis ipse Labienus non utitur, sed ei qui eius verba Caesarianis rettulerunt: homines intercepti. Hi dixerant *adversariis vestris* vel *adversariis Caesaris*; horum sermonem scriptor reddit; quem cum ex Labieni persona referret, omnia turbavit.

4) Participio omisso localis *in plostris* coniungendus esset cum deportandi vocabulo, quod usu vetatur scriptoris, qui *portandi* vocabulo

26, 3 — *ut* — *quam celerrime exercitus sibi transportaretur: Africam [provinciam]* [1]) *perire funditusque everti* — ; *quod nisi celeriter sociis foret subventum, praeter ipsam Africam terram nihil — reliquum futurum.*

29, 3 *quod ubi saepius [eius]* [2]) *equitatus facere non intermittebat* —.

31, 7 *tum egregiae munitiones castrorum [atque]* [3]) *valli fossarumque altitudo et extra vallum stili caeci — aditum — prohibebant.*

41, 3 *suamque aciem mediam eo oppido texit; dextrum sinistrumque cornu — in conspectu [patenti]* [4]) *adversariorum constituit.*

---

subiungit instrumentalem; cfr. 75, 3 *qui plostris merces portabant.* Fuit fortasse *deligandi* verbum vox castrensis, qua auctor usus est propter alliterationem (*de ligatos — de portari*), qualis saepius apud eum animadverti potest. cfr. praeterea pag. 24 adn. 5 et 25 adn. 1.

1) In his videtur aliquid acuminis latere. Cum ira et indignatione Caesar videt Africam provinciam pereuntem (nam quid reliqua Africa fieret, salvane esset an everteretur, ut Romanus non curavit), ut 8, 5 *regium — equitatum Scipio ex provincia Africa alebat.* Deinde autem ad *Africam provinciam* spectans pergit praeter *Africam terram — nihil reliquum futurum*, ita ut *Africa provincia* praeter terram etiam incolas Romani imperii participes significet.

Fieri autem potest, ut interpunctione mutata *Africam* iungendum sit cum *transportandi* verbo. Quae structura quamquam recedit ab optimorum scriptorum usu (nam quod codicis L librarius qui locum similiter intellexit, *in Africam* exhibet, nullius est momenti) defenditur 77, 3 *non potuerunt — transire Africam*, ubi solus A interpolatam praebet praepositionem.

2) vide pag. 30 adn. 3.

3) Polysyndeton quae vocatur figura loco apta et studio quaesita esse videtur. cfr. supra pag. 25 adn. 4.

4) Concedendum est elocutionem *conspectus patens* iterum non reperiri. Sed num hoc gravioris alicuius momenti sit, quo participium scriptori abiudicandum esse probari possit, satis videtur esse dubium, cum Froehlich II (pag. 54—63) et Koehler I haud pauca investigaverint, quorum testis est hic solus scriptor. Excusatio autem, qua haec compositio hoc loco ferri et potest et debet, inde repetenda est,

Ab hoc codice neglegenter exarato tantum abest, ut in meliorem partem discedat Leidensis, ut codice A multo neglegentius sit transcriptus. Quod iudicium de codice L propositum cum ab omni parte contrarium sit sententiae quam fert Woelfflinius de hoc codice, proprio nobis defendendum est capite. Simul apparebit, quam fatalis haec sententia a nobis impugnata recentissimae editioni facta sit.

Taceo de vestigiis secundae manus, quae octies decies errores prioris emendavit; de verborum ordine septuagies septies temere turbato; de scripturis neglegenter omissis et deinde tricies ter a librario ipso inter versus additis. At ipso Woelfflinio concedente idem codex quadragies septies verba necessaria omisit: 1, 1 a. d.; 1, 2 fore; 1, 5 eodem, equitum; 2, 1 quae; 2, 3 commoratus; 6, 1 occupat; 7, 6 in; 14, 1 se; 20, 1 si; 22, 3 ex; 24, 3 neque; 30, 1 fere; 31, 1 rem; 31, 9 partis; 33, 3 ibi; 33, 5 se; 34, 2 suae; 34, 4 et; 36, 3 cives; 54, 5 Saliene, M; 57, 6 est; 58, 4 verebatur; 58, 5 eum; 59, 2 media; 61, 1 ante; 61, 2 suas; 61, 5 misisset; 61, 6 omisit decem vocabula; 62, 1 classem; 62, 2 de; 62, 5 nactus; 67, 1 instructa; 69, 2 celeriter; 71, 2 omisit verba quattuor; 72, 1 item quinque; 72, 5 ex; 75, 2 ab se; 78, 3 Caesar; 78, 8 facto; 80, 4 praesidio; 88, 6 re; 89, 3 die; 89, 5 M; 90, 2 uno; 91, 3 se.

Notata igitur huius codicis summa neglegentia iam hanc ob causam magnopere nobis cavendum esset, ne nimium ei haberemus fidei, etiamsi ex codicum adfinitate plus ei redundaret auctoritatis. Nunc autem nulla omnino ei est tribuenda: nam si P et V consentiunt contra L, aut V, A, β contra π, quod praebent L et π, nihili est. Quod

---

quod, cum acies media oppido t e c t a a Caesarianis cerni non potuerit, cornua intuentibus l a t e p a t e b a n t. Quo contrario scriptor adeo captus esse videtur, ut addito participio singularem aciei adspectum notandum esse putaverit.

ut demonstrem, dabo recensum locorum, quibus W. prave eum secutus est [1]).

2, 1 *ut quaeque prima legio venerat, in naves longas imponebatur, equites [autem]* [2]) *in onerarias.*

Certum est alteram manum prioris neglegentiam recte emendasse; nam scriptor in sententia bimembri, cuius posterior pars priori opponitur, hanc particulam usurpare solet, velut: 15, 1 *pedites — vulnerabantur; equites autem;* 27, 1 — *elephantos constituit; post eos autem;* 52, 3 *Caesar auxilium tulit; equites autem;* idem 46, 3; 59, 3 et passim.

7, 1 *et pervenit ad oppidum Leptim; legati ex oppido [obviam] veniunt.* Obviam rectius omitti exponit W., quia Caesari, cum ad oppidum pervenisset, non possent legati obviam venire.

At secundum usum huius scriptoris *ad oppidum pervenire* nihil aliud significat nisi *prope oppidum venire.* cfr. 79, 1 *Caesar — ad oppidum Thysdram pervenit, in quo Considius — fuerat. Caesar oppidi natura perspecta — protinus profectus — ad aquam facit castra.* 85, 5 *in regia castra fugere contendunt. Quo postquam pervenerunt, ea quoque ab Iulianis teneri vident.* cfr. pag. 25 adn. 2.

7, 3 *ut est [ei] nuntiatum.*

Solet scriptor dativum addere: 12, 1 *nuntiatur ei*; 80, 4 *quod postquam Caesari nuntiatum est.*

8, 5 *regium enim equitatum [Scipio] ex provincia Africa alebat.*

Cum sententia primaria et enuntiatum hoc interpositum diversis instructa sint subiectis (*Caesar — Scipio*), ut ambiguitas removeatur, Scipionis nomen in altero enuntiato prorsus flagitatur. Quamquam auctor quidem ipse

---

1) Omittuntur ei loci, quorum scripturam sanam esse iam demonstraverunt Froehl. I et Koehl. I. Sed cfr. pag. 68.

2) *autem* a sec. manu in marg. additum.

nonnunquam talia admittere veritus non est, tamen iusto audacior, qui huius neglegentiae nova exempla verbis sanis obtrudat.

ib. *ut malint regis esse vectigales, quam cum civibus in [patria] [in] suis fortunis esse incolumes.*

Woelfflini coniecturae id refragatur, quod deleto *patria* vocabulo oratorius quoque color, quem prodit etiam asyndeton, deletur. *in patria* enim et *apud regem* vel *regis* non minus sibi opponuntur atque *in suis fortunis* et *vectigales*; verba autem *in patria* minime languent, etiamsi antecedit *cum civibus*, quod nihil aliud significat nisi *cum Caesarianis.*

11, 3 *ad [oppidum] Ruspinam.*

At confer usum scriptoris 87, 1 *ad oppidum Paradae*; 36, 2 *ex opp. Thysdrae*; 58, 4 *in opp. Uzitae*; 91, 2 *in opp. Zamae*; 59, 4 *opp. Uzita*; 37, 2 *ad [oppidum] Ruspinam versus*; 20, 1 *ab opp. Ruspina.*

11, 4 *illum* (Caesarem) *cum classe navibus — subsidio ire clam [hostibus] voluisse —, neque eam rem eos voluisse scire, qui in praesidiis relicti sui milites fuissent.*

At qui potuit Caesar, cum probata Woelfflini coniectura *clam* absolute dictum esset, clam s u i s naves conscendere? Et cur tum additur *neque eam rem eos voluisse scire, qui — relicti fuissent*? Itaque adverbium *clam* utique explicationis indiget: patet enim Caesarem et clam h o s t i b u s profectum esse, ne se subsequerentur vel relictas copias se absente opprimerent, et consilium suum, quod fortasse complurium dierum absentiam requirebat, exercitum Ruspinae relictum celasse, ne metu deficeret.

12, 2 *hac re cognita Caesar celeriter iubet equitatum universum cuius copiam habuit in praesentia [non magnam] et sagittarios [quorum parvus pumerus] ex castris arcessi.*

Cum L *non magnam* omisisset, ipse W. *quorum — numerus* ex concinnitate delevit interpretatus quae supersunt: *cuius copiam habuit in praesentia, über die er im*

Augenblick verfügen konnte. Hac autem ratione sententia satis frigida et molesta efficitur; is enim equitatus non potuit arcessi, cuius Caesar in praesentia non habuit copiam; quapropter unusquisque in *copiae* voce intensivam multitudinis subaudiet notionem, ut in eo ipso loco quem W. contulit 43 *frumento cuius in castris copiam habuit incenso.* Haec autem cum eo quem ipse postea profert numero pugnat. Qui in codicibus quidem traditur *CCCC*; sed Stoffel II, 286 recte intellexit, cum Caesar equitum duo milia Lilybaei navibus imposuisset Ruspinaeque (11, 3) exposuisset, hunc numerum verum non esse; corrigendum igitur aut *MCCCC* aut *MM.* Haec autem emendatio probabilior videtur, cum iusserit Caesar *universum* equitatum arcessi. Quod W. temptavit *MCC* plane est incertum. Utut autem est, sive *MM* sive *MCC* restituitur, haec equitum copia non magna fuit. Tum autem ex concinnitate sequentia quoque *quorum parvus numerus* servanda sunt. Quamquam concedendum est in reliquis huius generis enuntiatis verbum substantivum non deesse (3, 1 *cuius numerus — fuit trium milium*; idem 3, 2; 12, 3; 21, 2). Quare aut auctor censendus est hoc loco a norma quam sibi constituerat declinasse, aut si cui hoc non videtur probabile, copula *fuit* inserenda est. Simili autem loco copula item omissa est insequente infinitivo historico: 16, 3 *omnium tamen animi in terrorem coniecti et maxime tironum: circumspicere enim Caesarem.*

18, 1 — *M. Petreius et Cn. Piso cum equitibus — MDC [electis] peditatuque [eiusdem generis] satis grandi — suis occurrunt.*

Numerus *MDC* restitutus est e 19, 6 *Petreiano auxilio adhibito, equitibus MDC*; praebet enim *CCC α, MC β.*

Ex ipso commentario elucet numerum equitum Pisonis explicationem flagitare. Nam 3, 1 Cn. Piso apparet secundum oram maritimam cum equitum tribus milibus. Hoc autem loco ex itinere occurrit cum dimidio: cuius rei

causam scriptor reddit dicens hoc dimidium constitisse ex equitibus electis. Deinde autem alter genetivus *eiusdem generis* vel ob concinnitatem orationis conservandus est.

25, 1 *conparatis equitum magnis peditumque copiis subsidio [suis] — ire contendit.*

Cum *rex Iuba* enuntiati sit subiectum, pronomen *suis*, quo hoc loco notarentur Scipio et Pompeiani, absonum esse W. iam perspexit. Itaque cum Leidensi id delevit. In adnotatione autem ipse sentit deesse dativum et proponit *Scipioni* coll. 57, 2, ubi in O *se* scriptum erat pro *Scipionem*. Melius autem in traditas litteras quadrare videtur dativus *sociis*. Nam dativum requiri usu probatur scriptoris, qui uno tantum loco verbis *auxilium ferre, suppetias ire*, sim. dativum non addidit 41, 2 *cum Scipio veritus, ne oppidum amitteret, — suppetias ire contendit*, quo loco enuntiatum *veritus ne — amitteret* dativi munere fungitur. At [*suis fugientibus*] [1]) *suppetias ire* legitur 39, 4; eodem loco *suis auxilium ferre*; 75, 4 [*turmis suorum*] [1]) *suppetias mittere*; sim. 5; 25, 5 eqs.

30, 1 *Scipio — fere cotidie — instruere aciem ac — rursus in castra [se] recipere.*

W. ut defendat codicis sui scripturam, duobus nititur locis: 40, 5 *cum equitatum* (Caesar) *intra suas munitiones recepisset.* 65, 2 *Caesar — legiones duas — mittit — atque — recipit in castra.* Tertium attulit e bell. civ. III, 58, 2 *Pompeius — equitatum — ad se — recipit.*

Qui loci quid probent, non intellego. Nam omnibus tribus imperator, qui copias recipit non cum his copiis se quoque recipit, sed eo loco versatur, quo recipiendae sunt: in castris vel munitionibus. Itaque pronomen *se* his locis omnino alienum est. Nostro autem loco Scipio aciem instruxit: quapropter recipiendo in castra exercitu se quoque recipit. Huic igitur loco pronomen aptissimum est. Iam

1) del. W., iniuria, ut usus docet scriptoris.

conferas usum scriptoris, velut 48, 5 *universas suas — copias — instruxit ac — se recipit in castra.*

33, 1 *tantum orare et petere [ab eo], uti sibi praesidium daret —.*

Petendi vocabulum quinquies addita praepositione (28, 4 *petiisse a centurionibus*; idem 4, 1; 90, 2; 91, 3; 92, 1), semel absolute invenitur usurpatum 35, 3 *qui simul ad eum sunt deducti, petierunt.* Nihil autem probant compositiones *petunt orantque, petunt obsecrant* nude usurpatae. In his enim petendi verbum praecedit, nostro autem loco subsequitur: quadrat scilicet praepositio *ab* nec in obsecrandi nec in orandi vocabulum.

42, 1 *neque ex eo loco, —, Scipionem progredi [propius] [se] animadvertisset.*

W. postquam cum L pronomen *se* omisit, necessario coactus *propius* quoque delevit, quod si adverbii munus sustinet, verbo anteponi solet. Dubium autem minime est, quin codicis L iterum deprehendatur neglegentia et quin scriptor praepositionem non adverbium usurpaverit. Deinde cum exercitus ipso progrediendo non semper propius hostem accedat, verba vere tradita difficultatem praebent nullam. Nam conferas locum simillimum 47, 2 *[procedendo] propius[que] hostem accedendo*: similitudo aperta est, tamen W. delevit *procedendo* et particulam *que.*

50, 3 *Caesar [postquam] equitatu ante praemisso — cum ad eum locum venisset —.*

Anacoluthia quae inest in coniunctionum repetitione, qua scriptor prioris oblitus novam induxit, duobus defenditur exemplis similibus: 40, 5 *postquam — [cum] receptui Caesar cani iussisset.* 4, 3 *quo simulatque captivus [cum] pervenisset —.*

Utroque loco W. alteram coniunctionem delevit. Sed quod ad 4, 3 adnotat *coniunctivus pendet ex simulatque; interpolator autem cum addidit, ut modum insolitum excusaret* falsum est. Nam eo quo nititur loco 8, 1 con-

iunctivus propter orationem obliquam qua Caesaris sententia refertur necessarius: *Caesar — nuntios cum litteris — in — provincias finitimas dimisit, ut sibi auxilia — simulatque litteras legissent mittenda curarent.* Accedit quod interpolator ille mira astutia *cum* constanti fere huius scriptoris usu observato ante ipsum verbum inseruit a particula *postquam* quam emendare voluit longo intervallo disiunctum; cfr. 14, 2 *cum concurrere conarentur*; 70, 4 *cum se convertissent*; 6, 1 *cum movere vellet*; 11, 1 *cum proficisci conaretur*; 22, 2 — *cum esset*[1]) eqs. Itaque si quid superfluum esset, certo prior particula locum tenere non potest. Sed quis eam delere ausit?

51, 6 *dum haec opera, quae [ante] dixi, fiebant* —.

Respicit auctor ad verba in initio capitis posita: *Caesar legionibus opera distribuit atque castra munivit,* quae opera deinceps (§ 2) enumerantur. Sequitur deinde § 3 ratio eius rei: errat igitur W. cum verba *quae ante dixi* ad proxime antecedentia §§ 2, 3 referat et propterea aut *paullo ante* dicendum aut *ante* omittendum fuisse censeat. Similiter 69, 4 *atque eadem ratione qua ante dixi* auctor ad rationem spectat quam explanaverat 69, 1. Itaque e W. ratiocinatione hoc loco certissime adverbio *paullo* opus fuisset, si quidem scriptor legem quam statuit W. secutus esset. Sed auctor ipse nihil sibi legis posuit.

54, 3 *sed quoniam ipsi sibi neque modum neque terminum constituunt — egomet [ipse] documentum more militari constituam.*

Pronomen *ipsi* quod initio enuntiati edd. restituerunt ex D, huius librarii coniectura natum esse reliquorum apparet scriptura *usi* λ (et fortasse α; sed in A desunt verba undecim), *ii* UF quod item emendandi studio debetur). Itaque cum iam in O illud *usi* extitisse admodum sit veri-

---

1) In transcursu addam huius usus notabilis in genuinis Pollionis scriptis animadverti nec volam nec vestigium.

simile, eo a pronomine *isti* facilius aberrari potuit quam ab *ipsi*; cfr. 16, 1 *vos quoque iste verbis infatuavit?* 46, 2 *abducite istos — nefario scelere contaminatos.* Quod in fine legitur *egomet ipse* plane est necessarium ut imperatore summa vi pronuntiante dignum; cfr. Cic. de lege agr. II, 2 *quibus studiis hanc dignitatem consecutus sim, memet ipsum commemore perquam grave est.*

60, 5 *sagittarios* [*varie*] *passim*[*que*] *locis*⟨*que*⟩ [1]) *certis maxime*[*que*] [*in cornibus*] *conlocaverat.*

In sententia, qualis evasit apud W. *sagittarios passim locisque certis maxime collocaverat*, quid sibi velit *maxime*, plane obscurum est. At compositionem *varie passimque* ex optimo scriptoris usu esse iam Froehl. I pag. 18 argumentis probavit: 27, 2 *aegre tardeque*; 70, 2 *placide leniterque*; 69, 4 *una pariterque* eqs. Quamquam autem vocabulum *varius* perraro invenitur de loco dictum (velut Hor. sat. II, 2, 48 *velut silvis ubi p a s s i m palantes error certo de tramite pellit. Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrique error, sed v a r i i s illudit partibus*; Catull. 46, 11 *diversae variae viae reportant*), tamen hoc loco eo minus adverbio *varie* offendemur, cum statim explanetur insequenti *passimque*; cfr. praeterea locum similem 31, 1 — *minutatim modesteque sine tumultu aut terrore se recipere*, quo loco cum nec *minutatim* solemnem habeat significationem (significat enim *paulatim*) nec *modeste* eodem sensu (*animo non perturbato* W.) iterum inveniatur, utrumque explanatur insequentibus *sine tumultu aut terrore.*

Sagittarii autem collocantur aut a n t e aciem locis opportunis (cfr. 13, 2 *sagittarios ante aciem constituit*) aut in cornibus: hoc loco scriptor refert Caesarem sagittarios constituisse cum varie passimque ante aciem locis certis (i. e. opportunis) tum inprimis in cornibus.

---

1) *que* addidit W. cum L.

61, 7 *Scipio item munitiones [contra] facere.*

Adverbium *contra*, ut docent sequentia exempla Plautina et Ciceroniana, locali vi ornatum *ex adverso* significat: mil. glor. 3 *contra conserta manu*; 198 *quem dolum doloso contra conservo parem*; 123 *ubi contra aspexit me, oculis mihi signum dedit*; captivi 660 *ut confidenter mihi contra astitit.* Cicero pro Balbo 33 *contra facere*; pro Sestio 103 *contra niti.*

65, 1 *est — consuetudo incolarum, ut . . . sub terra specus frumenti condendi gratia [clam]*[1]) *habeant —.*

Adverbium *clam* plane necessarium est: nam specus terrae subditos per se quidem occultos esse non opus est: tum demum, si quis specus clam (sc. aliis) habet, speluncas habere clandestinas dici potest.

68, 1 *Oppidum — a Caesare — diversum ac remotum, quod erat ab eo [longe] milia pass.* XVIII (sic!).

Parum sibi constat W., qui hoc loco *longe*, quamquam et auctoritate codicum et scriptoris usu (67, 3 — *longe milia passus VI*; 77, 4 *II milibus passuum longe*; idem 24, 1) ab omni suspicione defenditur, delendum censeat, cum 2, 2, ut lacunam ex parte expleat[2]), ad huius loci provocaverit auctoritatem, quem iam foede interpolatum esse contendit. Sine ullo autem dubio ut ibi coniectura incerta est, ita hic archetypi scriptura proba est et certissima.

Porro Woelfflinius ex sola Leidensis auctoritate *que* particulam delevit locis sequentibus:

22, 3 *adulescentulus[que] atque eques Romanus.* 26, 3 *perire funditus[que] everti.* 54, 4 *quod — fecisti, quod[que] — fuisti.* 69, 4 *una pariter[que].* 82, 3 *Caesare — resistente sibi[que] — non placere clamitante.* 89, 1 *frumenti, armorum, —, ceterarum[que] rerum.* 89, 5 *tribuit*

1) *flam* α; c l a m β; om. LV.

2) — *petere Aponianam, quae abest a Lilybaeo (longe milia passuum)* W.

circiter[que] luminibus accensis Uticam pervenit. 90, 1 *introiit contione[que] advocata — gratias egit.*

Omnibus autem his locis particula *que* in archetypo extitit, et cum W. ipse (ad 21, 3) concesserit necessario coactus [1]) nulli certae legi se obstrinxisse auctorem, Leidensis scripturas omnes esse reiciendas patet.

Ab hac librarii in omittendis vocabulis socordia aperta non multum distat ea, qua aut verba ipsa aut verborum formas temere mutavit locis amplius centum quinquaginta. Ex his recepit Woelfflinius sequentes:

7, 6 *latent enim in insidiis cum equis in convallibus.*

Haec Leidensis scriptura emendandi studio debetur; nam π praebuit, quod patet ex P, *in convalles.* Archetypi autem scriptura *latent — inter convalles* defenditur loco Cicer. pro Rosc. Amer. 118 *latent inter tot flagitia.*

17, 1 *in fugam convertit* [2]) —.

Simplex vertendi vocabulum legitur apud Livium: XXX 33, 19 *equites in fugam vertere.*

21, 5 *hac re nuntiata Caesar — disponit, quo tutius — subportari possit* [3]).

Praecedente ablativo absoluto scriptor non solum praesens historicum (ut 9, 1 *praesidio — relicto — convertit — et proficiscitur* —) verum etiam perfectum usurpat (ut 23, 2 *Pompeio adveniente oppidani — passi sunt; eruptione facta — compulerunt*; 63, 5 *navibus — incensis — se recepit*; 3, 3 *natura loci perspecta rediit* [4]) *in castra*; 75, 1

---

1) cfr. enim 18, 5 *cohortes turmas.* 20, 3 *ferrum plumbum.* 23, 1 *servorum liberorum.* 26, 6 *turres castella.* 40, 5 *pretio pollicitationibus.* 78, 8 *dextra sinistra.* At 11, 3 *militum equitumque.* 24, 4 *milites equitesque.* 25, 3 *agros oppidaque.* 37, 5 *turres speculaeque.* 69, 4 *pulsos deterritosque.* 27, 2 *aegre tardeque.* 31, 1 *minutatim modesteque* eqs. cfr. pag. 62 ad 60, 5.

2) *in fugam vertit* O.

3) *disposuit — posset* O.

4) *rediit* O. *redit* A. rec. W.

productis copiis — constitit; 78, 8 *impressione facta — in fugam dederunt*). Apparet igitur codicis L cum transcribendi socordia, tum pessimum emendandi studium.

29, 3 *cum — ante portam turma densa obstitisset —*.
adstitisset O.

Ad haec W. 'illud bene dicitur de oppugnantibus ante portam dispositis, ne erumperent oppidani (Liv. XXXIV, 46, 9 *duae legiones duabus portis signa efferre iussae: sed ita conferti obstitere Galli, ut clauderent viam*; Plaut. Mil. 333 *hic obsistam*); *adsistere* autem significat *adesse*.' Refellitur haec opinio loco Ciceronis, de legg. II, 4, 10 *contra omnes hostium copias a d sistere in ponte*.

35, 6 *milites — in castra Caesaris profugerunt*.
perfugerunt O.

Collatis locis sequentibus perfugiendi vocabulum apparet usu defendi auctoris: 32, 3 *in eius castra perfugere*. 56, 3 *perfugiunt in Caesaris castra*. 51, 3 *si qui perfugere vellent*.

Eadem corruptela in L occurrit 8, 5 *profugis*; *perfugis* O. Illud ne W. quidem defendendum suscepit.

45, 5 *elige — cohortem unam, quam putas esse fortissimam*.
firmissimam O.

Ut defendat pravam illam scripturam, W. contendit firmas dici cohortes, quae plenae sint vel frequentes. Sed refellitur bell. Gall. VII, 60, 2 *quinque cohortes, quas minime firmas ad dimicandum esse existimabat, castris praesidio relinquit*. bell. civ. III, 88, 4 *Cilicensis legio — cum cohortibus Hispanis — in dextro cornu erant collocatae: has firmissimas se habere Pompeius existimabat*.

57, 2 *Scipio mittit ad Aquinium nihil pertinere cum adversariis conloqui*.
nihil attinere eum — conloqui O.

Quantum scio, nulla extant exempla, in quibus quo quid pertineat non sit dictum. Hac ut suspicor de causa W. proponit: *nihil pertinere* ⟨*ad rem*⟩; unius igitur codicis

mendum coniectura sustinere conatur, cum genuina archetypi scriptura nihil praebeat offensionis. cfr. Cicer. pro Sext. Rosc. *quid attinuit eum — nuntiare —?* Verr. V, 169 *quid attinuit — te iubere —?* legg. II, 42 *nihil attinet quemquam nominari.*

59, 4 *Equitatum frenatum universum in suo dextro cornu disposuerat: sinistrum autem cornu oppido Uzita claudebatur, neque erat spatium equitatus explicandi.*

sinistrum enim O.

Illud W. recepit. At hoc unice sententiae satisfacit: nam verba *sinistrum — explicandi* per parataxin causam afferunt, cur Scipio omnem equitatum in suo dextro cornu disposuerit, ita ut sententiarum ratio haec sit: Caesar universum equitatum in dextro cornu disposuerat, cum sinistrum oppido clauderetur, ut non esset spatium equitatus explicandi.

53, 1 *dum haec ad Uzitam geruntur.*

circum Uzitam O.

Hoc sane tenendum est. Neque enim quidquam probatur inde, quod prisci sermonis auctores *circum* non iunxerunt nisi cum verbis movendi (W. ad 3, 3; 53, 1), immo cum ipsum gerendi vocabulum motus significationem et vim contineat, non multum distat ab hoc loco quod scripsit auctor 26, 1 *conscriptis litteris circum provinciam omnes civitates facit — certiores.* cfr. praeterea: bell. Gall. VI, 24, 2 *esse circum Hercyniam silvam.* bell. Hisp. 27, 2 *circum castella praeesse.* 41, 5 *materiem circum oppidum succisam intro congessit.*

76, 2 *ab eius impugnatione deterritus.*

ab oppugnatione eius O.

impugnationis vocabulum, ut omnino rarissimum in sermone latino — quantum scio solum occurrit apud Cic. ad Att. 4, 3, 3 — sic ab hoc quoque scriptore et ipsum et impugnandi verbum plane abhorrent 51, 3 *oppugnatio.* 5 (ter); 29, 2; 42, 1; 51, 3; 67, 1; 92, 1 *oppugnare.*

78, 8 *Caesar alteram alam inmittit, qui satagentibus — occurrerent.*

mittit O.

Verbum compositum sententiae minus aptum est. Neque enim in hostes inmittuntur Caesariani (ut 18, 5; 39, 5; 75, 5; et fortasse 39, 3 ex W. coniectura; *missi* O), sed ante omnia mittuntur, ut satagentibus suis subsidium ferant: quattuor illis locis huiuscemodi enuntiatum finale deest.

85, 1 *Interim Thapso qui erant praesidio ex oppido eruptionem porta marituma faciunt et sive ut suis succurrerent —.*

subsidio occurrerent O.

Ad haec W.: 'illud necessario restituendum erat. Subsidio enim occurrimus fugientibus. Adversarii autem non Thapsum versus fugiebant, ut oppidani eis occurrere possent.' Quae me non intellegere libere fateor. Neque enim adversariis occurrunt oppidani, sed suis (id est: Scipionis exercitui fugato) subsidio occurrere conantur, ut 18, 1 *Petreius et Piso — subsidio suis occurrunt.* Deinde praefixum *ob* propriam vim sibi non iam servasse apparet e 68, 3, ubi legionibus Scipionis in agris frumentantibus copiae suppetias occurrunt: itaque compositum idem significat ac simplex *currunt*; idem 32, 10; 77, 3; 39, 2. cfr. pag. 25 adn. 2. Quapropter et hoc loco Leidensis scriptura, utpote non necessaria, reicienda est.

Restat ultimus gravioris momenti locus 46, 1:

annuit centurionibus, quid fieri velit, atque ante pedes centurionem interficit reliquosque — a tironibus iubet secerni.

vellet O. *interfecit* AπUF.

annuit non praesens historicum, ut finxit sibi librarius codicis L, sed perfectum est. Accedit quod in sequentibus, ut tueatur codicis sui scripturam, W. sequi cogitur libros VD (*interficit* pro *interfecit*), qui nullam omnino sibi vindicant auctoritatem. Quod attinet ad temporum mutationem,

cfr. 36, 3 *gratias egit* — *dixit* — *iubet*; 38, 2 *attribuit* — *iubet*.

Iam conficiamus summam: examinantibus nobis has quarum L solus est testis scripturas summa apparuit in servandis archetypi lectionibus socordia et neglegentia. Quae unde venerit si quaeritur, librarium codicis statuendum est linguae latinae minime ignarum leviter verbis exemplaris sui examinatis sicut ea memoria tenuit transcripsisse, ita ut locis longe plurimis coniciendi libidini indulserit, nonnullis archetypi O vel λ corruptelas manu felici emendaverit: his igitur locis codicem sequemur ducem, postquam demonstratum est archetypi O scripturam corruptam locum tenere non posse. Sunt autem loci sequentes[1]):

3, 1 Mauris (*pro* Mauro), equitum (equites). 10, 3 auxilii (auxilium). 21, 3 vagabantur (vacabantur α). 22, 5 efflagitatum *cum A* (et flagitatum). 26, 5 abripi his se (abripuisse α). 31, 7 quae ad (ad λ). 33, 1 ut sibi (ut si α), eis (ei). 34, 4 onerarias (oneratas α). 34, 6 sollicitudinem *cum A* (sollicitudine). 35, 4 inquiunt (inquit), in tua praesidia (in tuaque praesidia; nam cfr. ad 26, 3). 36, 4 montis (montes). 38, 2 docui esse (docuisse α). 47, 1 idem (id). 47, 6 pertinent (partim). 48, 1 ad terrorem (ac terrore). 48, 4 intellectum (inlectum α, inlatum β). 51, 5 ibi (ibi nonnulli). 54, 4 te removeo (removeo). 60, 2 partem (parte). 60, 3 sinistrum ⟨suum⟩ cornu (*pron. poss.* suum *librarius omisit. nam reliqui* sinistri s u i cornus; cfr. pag. 30 adn. 3). 66, 3 *delevit* iam. 70, 4 cum (si). 93, 3 ipse (quae). 97, 1 erogatis (togatis).

Scripturae reliquae, quarum L solus est testis, aut neglegentiae aut interpolationis suspicione premuntur ad unam omnes.

1) Omissi sunt ei, quorum vis posita est in rei orthographicae quisquiliis.

III.

De reliquis locis interpolationis suspicioni obnoxiis.

1, 4 *cum praesertim ab incolis eius provinciae nuntiarentur adversariorum [copiae] equitatus infinitus, — classesque [esse] complures, tamen non deterrebatur animo [et spe] confidebat.*

W. Novakium secutus uncis inclusit *copiae*: nam verba *cum nuntiarentur copiae* quod praedicatum deesset plenam non efficere sententiam.

At id ipsum *esse* in O extitit, deest enim solum codicibus LF. Itaque quantocius revocandum est. Quid enim in tali structura desideres *cum nuntiarentur copiae esse equitatus infinitus — classesque complures*? cfr. 20, 2 *cuius copiae legionum octo et equitum III milium esse nuntiabantur.*

Deinde W. delevit *et spe,* quod sive pro dativo sive pro ablativo accipiatur, latinum non esse.

Quamquam locum plane similem reperire mihi quidem nondum contigit, tamen hunc confidendi vocabuli usum, quo aliquis spe inflammatus sibi confidere dicitur, contra linguae indolem facere vix crediderim; similiter nitendi verbum usurpatur a Cicerone ad Atticum III, 9 *spe qua iubes nitemur,* et Catull. c. 64, 177 *quali spe — nitor.* Hic denique scriptor dicit *animo confidere*, belli autem Alexandrini auctor eodem sensu 20, 7 *animo niti.*

1, 5 *et legiones [tironum] convenire, in his veterana legio quinta.*

Deleto *tironum* genetivo ex sequentibus minime apparet reliquas praeter quintam legiones omnes fuisse tironum. Eodem enim iure, cum haec legio omnium fuerit fortissima (cfr. 60, 4; 81, 1; 84), cogitaverit aliquis eam solam dignam fuisse, quae nominatim commemoraretur. Narrat scriptor Lilybaeum convenisse Caesaris copias: naves, legiones, equites. Iam autem legiones excepta una

omnes erant tirones: itaque hanc notionem ut principalem subicit. Deinde se ipse corrigens addidit *in his veterana legio V.*

2, 5 In omnibus codicibus leguntur haec: . . . *post diem quartum cum [longis] paucis navibus in conspectum Africae venit: namque [onerariae] reliquae [praeter paucas] . . . diversa loca petierunt.*

Quae verba sana esse non possunt: nam primum quidem Caesarem cum onerariis quoque navibus in conspectum Africae venisse elucet e 3, 1 *exponit exercitum, cuius numerus fuit peditum III mil. equitum CL.* Hac igitur in enuntiati parte desideratur notio onerariarum navium. In sequentibus autem *namque onerariae reliquae praeter paucas* — idem nomen sententiam plane turbat. Nam cum legiones VI in naves longas impositae essent, Caesar autem cum tribus tantum milibus peditum in conspectum Africae veniret, plerasque naves longas quoque dispersas esse vento oportet; cfr. praeterea 11, 3 — *navibus eis in portum receptis et advectis militum equitumque copiis.* Itaque hoc loco *onerariae* eiciendum et, cum in priore parte desideretur, ibi inserendum est: *cum longis et onerariis paucis navibus.* Exempla autem quibus nomina versum mutasse librariorum socordia demonstrantur haud pauca extant, velut 60, 2; 78, 5; 87, 3; 95, 1; 31, 1 (A); in capite porro quinto V haec tradit:

et equitatus nuntiabatur magna auxilia oppidanis.	pro: *et nuntiabatur magna auxilia equitatus oppidanis.*

Alii aliam emendandi viam ingressi sunt. Schneid. (II, pag. 247) proponit: *cum [longis] paucis navibus —. namque reliquae praeter paucas onerariae —*, quod non quadrat in res gestas. Nam cum legiones transportandae fuissent VI, equitum II milia, navium errantium maior pars e navibus longis, minor ex onerariis constabat.

W. autem Kranerum et Vielhaberum secutus scribi vult:

cum [longis] p. navibus in consp. Afr. v.: namque [onerariae] reliquae [praeter paucas] vento disp. Quod si quis probare studet, duorum diversorum grammaticorum interpolamenta hoc loco discerni posse demonstret necesse est. cfr. W. ad *reliquae*: 'idem grammaticus, qui paucas Caesaris naves falso intellegebat longas, ad *reliquae* explicandi causa adscripsit *onerariae*; rectius autem alius quidam sive librarius sive ludi magister reliquas sensit esse omnes tam longas quam onerarias exceptis illis paucis, quae Caesarem comitabantur, ideoque adscripsit *praeter paucas.*' Haec emendandi ratio ut omnem probabilitatis modum excedit, ita pleonasmus *reliquae praeter paucas* utique servandus est; legitur enim praeter 20, 4 *oppida praeter ea pauca — reliqua dirui ac deleri* (Froehl. I, pag. 19) etiam 95, 2 *praeter paucos equites — reliquos — interfecit.* Deinde si enuntiatum sic ut W. vult conformatur, in priore parte navium nomen omnino eget additamenti, quod quales fuerint naves significet et quo carere vix possumus; similiter 7, 3 *eodemque naves onerariae et longae nonnullae — advenerunt.* Sed W. ad hanc coniecturam adductus est prava ut putat verborum collocatione *cum longis paucis navibus.* Fieri enim minime posse, ut verba velut *longae naves, onerariae naves* similia, quae quasi unam exhibeant notionem, aliis insertis vocabulis distineantur. Certe hoc observatur ab omnibus urbani sermonis auctoribus. Sed merito dubites, senseritne haec et similia consuetudo quoque sermonis cotidiani. Auctor saltem belli Hisp. similiter locutus est loco, qui quantum video a nullo adhuc allatus est 37, 2 *saucius Pompeius naves viginti occupat longas.*

3, 1 initio capitis leguntur haec in libris: *Postquam Adrumetum accessit — et a Clupeis secundum oram maritumam [cum equitatu] [Adrumetum] Cn. Piso cum Mauro* [1]) *circiter tribus milibus apparuit.*

---

1) *Mauro* λ = (VP). *Mauroris* A. *Mauro* (ris) igitur α. *Mauris* LF. *Mauri* U.

In archetypo O sine dubio, quod patet ex consensu codicis β cum correctura libri α, scriptum fuit: *cum equitatu — Cn. Piso, cum Mauris circiter tribus milibus.* Haec igitur verborum structura restituenda, quamquam collocatio parum placet. Nam verba *cum Mauris, circ. III mil.* appositionis loco addita certe coniungenda erant cum *equitatu.* Tamen ea non aliena est ab hoc scriptore; cfr. pag. 27 adn. 2.

Hoc autem mediocris scribendi facultatis indicium ut tolleretur, W. seclusit *cum equitatu.* Sed cum eadem ei notio in sequentibus iterum sit inserenda *cum equitibus Mauris,* haec emendandi ratio improbanda est.

Quod attinet denique ad verba *a Clupeis secundum oram maritimam — Adrumetum Cn. Piso — apparuit,* W. Hoffmannum secutus *Adrumetum* delevit. Constare enim Pisonem Adrumentum non pervenisse (W. ad 6, 3). Sed scriptor ipse id tantum dicit Pisonem a Clupeis profectum iter fecisse Adrumetum versus secundum oram maritumam. cfr. 7, 3 *reliquae — Uticam versus petere visae sunt* —, ubi nulla navis Uticam pervenit. Cum autem significetur terminus, unde profectus sit Piso, exponaturque, qua via progressus sit, necessario adiciendum fuit, quo tetenderit iter. cfr. 41, 2 *secundum radices propius munitiones accedere.* 98, 2 *a Caralibus secundum terram profectus — Romam venit.* bell. Gall. VII, 34, 2 *ad — Gergoviam secundum flumen — legiones ducere.* Itaque si oppidi nomen additum non esset, ex animo legenti supplendum fuisset. Piso autem sive Adrumetum pervenit sive non pervenit, statim inde discedere potuit, cum Caesarianorum paucitas oppido periculo esse non posset. Nam cum equitatu nullo loco diutius commoratus in ora sursum deorsum versatus est ad intercipiendos qui navibus exirent Caesarianos; cfr. 18, 1, ubi idem ex itinere Labieno occurrit subsidio. Id solum recte sensit Hoffmannus *Adrumetum*

apparuit latinum non esse. Quare suspicatus est Kiessling intercidisse post *Adrumetum* participium *petens*.

3, 2 ***Oppidani — ante portam — considunt ad [se] defendendum.***

W. *se* seclusit secutus Forchhammerum qui (pag. 113) exponit *ad se defendendum* tantummodo de uno dici posse, itaque hunc locum solum in his commentariis certo obstare praecepto, secundum quod addito pronomine gerundivum efflagitetur. Deleto autem pronomine omnia sana esse.

At primum huius commentarii sermo non exigendus est ad reliquorum Caesaris librorum dicendi genus. Deinde gerundium non ab Ciceronianae aetatis usu loquendi abhorrere docet quod in Planci epistula (Cic. ad fam. X, 23, 3) legitur *pontisque quos feceram interrupi, ut spatium ad colligendum se homines haberent*. Haec igitur quam vitabant sermonis urbani auctores structura haud spreta erat in sermone epistulari vel potius familiari. Quapropter cum iam compertum habeamus ab huius commentarii auctore familiare (et vulgare) dicendi genus minime abesse, incauti videtur esse critici huius sermonis vestigia delere. Sed grammaticae huic rationi W. addidit alteram, scilicet traditam lectionem perversam praebere sententiam. Praestare enim *muris se tueri*. Atqui, si oppidani *ante portam frequentes considunt*, minime muris se tueri in animo habent, sed acie instructa se sunt defensuri. Pergit W. nullum apud Pollionem talis structurae exemplum inveniri. Sed 82, 1 ipse edidit vel contra librorum auctoritatem [1]) *in circumeundo exercitum* et adnotat: constructio priscae latinitatis et praecedente *ad* praepositione vel posterioris aetatis scriptoribus hic illic probata (!).

3, 4 *quod neque circum loca gubernatoribus [praefectisque] quid peterent praeceperat, neque ut more* [2]) *ipsius [consuetudo] fuerat, tabellas signatas dederat —*.

---

1) *exercitu* O. *exercitum* LVD.

2) mos W.

Loci graviter corrupti emendatio incerta: certum autem nec *praefectisque* nec *consuetudo* voce nos posse carere sine sententiae detrimento. Primum quidem *praefectisque* nec *gubernatoribus* ut additamentum adscribi potuit nec est superfluum. Nam cum non gubernator sed praefectus summus sit navis dux, ex more militari fieri omnino non potuit, ut ille quo cursus teneretur sciret et iuberet, hic nesciret et gubernatori pareret. Immo uterque hoc sciat necesse est, et gubernator quidem edoctus a praefecto, qui ipse ab imperatore instructus est, aut uterque, ut hoc loco sibi finxit scriptor, statim a Caesare. Deleto deinde consuetudinis vocabulo Caesar videretur inventor fuisse huius usus tabellarum signatarum. Sed hunc morem communem fuisse constat et antiquum. cfr. Front. strateg. I, 1, 2 *Himilco tabellas, in quibus scriptum erat, quam partem peti vellet, — gubernatoribus dedit signatas.* Sed ut sententia paullo sit significantior, quamquam nudus ablativus *more* probatur Tac. ann. I, 10 *sepultura more perfecta*, *militari* addendum esse coniecit Kiessling; cfr. bell. civ. III, 90 *exercitum cum militari more ad pugnam cohortaretur.* Ceterum scriptoris nostri consuetudo flagitat, ut adiectivum postponatur; cfr. 54, 3 *documentum more militari constituam.* idem 85, 5.

6, 7 *Interim [in itinere] — legationes venire.*

Cur W. localem *in itinere* delendum censeat, non dicit: an quod in toto capite manum interpolantis non detegi molestum ei visum est? Nam verba sana sunt; cfr. 92, 3 (*Caesar*) — *in regnum ire contendit.* ***Interim in itinere*** — *duces complures ad Caesarem veniunt.*

7, 3 *reliquae — incertae locorum Uticam [versus] petere visae sunt.*

versus sententiarum nexu defenditur. Nam si naves Uticam ipsam petivissent, non potuerunt dici *incertae locorum.* Deinde autem Uticam ipsam eas non petivisse elucet e 11, 2, ubi eaedem naves in portum ad Ruspinam perveniunt. Sententia igitur haec est: incertae locorum naves

eum cursum petunt (Cic. pro Cael. 72), quem si perfecissent Uticam pervenissent. Cum autem petendi vocabulum hac significatione nude usurpatum offendat, post *versus* accusativum obiecti *cursum* inserendum censeo.

7, 4 *equitatumque in navibus [omnem] continere.*

Non attinuisse *omnem* addere contendit W., cum Caesar illo tempore CL non amplius haberet equites. Sed praetervidit scriptorem paucis versiculis antea (7, 3) narrasse iterum advenisse naves onerarias: quapropter constat Caesarem illo tempore habuisse aliquanto amplius CL equites. Deinde autem adiectivum necessarium propter sequentia: *remiges interim, qui aquatum ex*[1]) *navibus exierant, — Mauri equites neque opinantibus Caesarianis adorti —.* Disertis verbis dicit auctor omnes ad unum equites Caesarem in navibus continuisse neque misisse, qui regionem explorarent, ut excusaret imperatoris humanitate[2]), quomodo fieri potuisset, ut Caesariani in insidias inciderent necopinantes.

10, 3 *contra magnas copias et insidiosae nationis equitatumque innumerabilem se expositos videbant.*

Sic edunt omnes cum libris. Tamen mea quidem sententia tradita scriptura sana esse non potest. Cum genetivus *insidiosae nationis* ex *copiarum* vocabulo pendeat, hae copiae sunt solae Numidarum: itaque Scipionis legionum nulla fit mentio. Attamen decem Scipionis legiones in Africa Caesarianis obstare nuntiis incolarum constabat (cfr. 1, 4). Itaque *magnas copias* ad adversariorum legiones referendas esse consentaneum est: tum genetivus *insidiosae nationis* ad equitatum *Numidarum* (cfr. 7, 6; 73, 2) revocandus et *que* particula delenda est.

neque quicquam solatii in praesentia neque auxilii [in suorum consilio] animadvertebant.

---

1) Ante *n* litteram *ex* scribendum esse ex usu scriptoris bene observavit W.

2) *ne agri vastarentur* 7, 4.

W. genetivum *suorum* mutavit ablativo *suo*. Sed prorsus simili modo, quo hic veterani imperatoris consilium requirentes in suorum (i. e. ipsorum) consilio nihil auxilii animadvertisse dicuntur, 11, 4 narratur *milites — ne propter suorum paucitatem metu deficerent*; 15, 2 *equitatus — suorum multitudine confisus*; 79, 1 *adversarios non virtute eorum* (= *suorum*) *confidere*. Deinde autem *in suo consilio* W. eicit ut glossema ortum ex sequentibus *in eius consilio*. Cur autem non sibi recte opponantur veteranos nihil quidem auxilii in suorum ipsorum consilio animadvertisse, sed omnem spem in imperatoris scientia et consilio posuisse non intellego. Immo si verba *in suorum consilio* absunt, tum eos omnino desperasse narrat scriptor, cum ipsi de sua salute non iam consulerent. Accedit quod sibi opponuntur *solatium in praesens* et *auxilium in futurum*, pro qua sententia paulisper immutata auctor usurpavit *in consilio* quod ipsum in tempore futuro positum sit.

11, 4 *ex eo est cognitum Caesaris consilium, illum cum classe navibus [onerariis] quae deerrassent, subsidio ire clam hostibus*[1]) *voluisse ne casu imprudentes [suae naves] in classem adversariorum inciderent, neque eam rem eos voluisse scire, qui in praesidiis relicti sui milites*[2]) *fuissent*.

Cum huius loci initio comparandus est alter supra omissus 8, 2 — *cum decem navibus longis ad reliquas [naves onerarias] conquirendas quae deerrassent et simul mare tuendum ab hostibus iubet proficisci*. W. utroque loco interpolatoris additamenta detexisse sibi visus est, cum naves non solum onerariae sed etiam longae deerrassent. At utriusque enuntiati acumen non in conquirendis navigiis errabundis sed in auxilio eis ferendo positum est, quod maxime cadit in naves onerarias, quibus inermibus hostes facile potiri poterant, cum naves longae se ipsae defendere possent.

---

1) *hostibus* del. W. cfr. pag. 57.

2) *sui milites* del. W. cfr. pag. 53 adn. 1.

Vocabulis deinde *suae naves* deletis contrarium quoque rhetoricum pessumdatur: *suae — adversariorum, naves — classem*, quod ab auctore quaesitum esse e chiasmo apparet.

ne propter suorum paucitatem et hostium multitudinem [*metu*] *deficerent.*

Causa qua quis coactus deficit, adnectitur aut instrumentali aut praepositione *propter* [1]). Hoc autem loco non utraque structura extat coniuncta, si quidem instrumentalis *metu* non causam affert defectus animorum, sed explanat, cur propter suorum p. et hostium m. defecerint. Explet igitur vicem enuntiati causalis velut: *ne propter s. p. et h. m., quod sibi timerent, deficerent.* Sane *metu* vel *quod sibi timerent* omitti potuit. Sed vide similes locos, ubi eadem scriptoris verbositas apparet: 71, 2 *levis armatura — equites deterrebat proelium inire propter equorum interitum, quod eos iaculis interficiebant.* 20, 4 *propter adversariorum dilectus, quod — aratores milites essent facti.* Similiter 45, 2 *pro tuo — beneficio —, quod mihi vitam incolumitatemque — polliceris.* 69, 5 *exercitus eius* [*ieiunus*], *qui nihil — gustasset.* 81, 2 *tirones, qui numquam in acie dimicassent.* Omnes hi loci, in quibus notio aliqua enuntiati primarii aut totum hoc enuntiatum fusius explanatur insequenti sententia causali quae nihil amplius novi continet, se tuentur invicem. Septimus denique locus primo simillimus occurrit 85, 8 *qui — licentiam sibi assumpsissent — peccandi impunitatis spe propter maximas res gestas*, nisi quod instrumentalis et praepositio munus mutaverunt. Ut hoc loco *milites licentiam peccandi sibi assumpserant impunitatis spe, quod maximas res gesserant*, sic illo loco *ne milites deficerent propter — multitudinem, quod sibi timerent.*

---

1) *lassitudine deficere* Caes. bell. civ. III, 92, 2. *deficere aliquem propter eam rem* Cic. Verr. III, 110.

12, 1 *per speculatores et antecessores [equites]*.

'*equites* inclusimus, quia nec *antecessor* nec *speculator* adiectivi munere fungitur': W.

Sed cum omnia haec substantiva verbalia in -tor fungi possint adiectivorum munere, minime est mirum, si in rarioribus vocabulis is usus uno solo exemplo probari potest; velut *corruptrix provincia* (Cic. ad fratr. I, 6, 19), *deletrix sica* (de har. resp. 49) alibi quod sciam non legitur. Sic etiam hoc loco nuntiatur Caesari per equites, qui ut regionem explorarent antecesserant. Patet autem causa qua adductus scriptor *equites* addiderit: inde enim explicatur, quomodo fieri potuerit, ut quamquam copiae hostium haud longe visae erant tamen Caesari tempus fuerit equitatus arcessendi: equites nuntium equis citatis attulerant. Accedit quod primum agmen speculatorum et antecessorum ex equitibus constitisse per se quidem necessarium non erat, quamquam haec norma fuit. Nam apud Suetonium Vitell. 17 *agminis antecessores* certe pedites fuerunt, non equites.

12, 2 *Caesar — iubet equitatum universum — et sagittarios — ex castris arcessi atque ordinatim [signa] se leniter consequi; ipse antecedere cum paucis armatis.*

W. *signa* delevit, quod explicandi causa additum esset pronomini *se*.

Itaque sibi sumpsit in sententia *atque ordinatim — consequi* subiectum esse *equites et sagittarii*: at tum omnino non quadrat adverbium *leniter*. Nam Caesar initio § 2 iusserat eos celeriter arcessi. Id quod in rei natura est positum. Deinde *ordinatim* quoque in auxilio quam celerrime arcessendo plane ineptum. Nemo denique dubitabit, quin equites quos Caesar ex castris arcessendos curat eum sint consecuturi. Ab altera autem parte necessarium erat Caesarem iubere, quid facerent cohortes, dum ipse antecederet, procederentne, an consisterent, an recederent: qua de re si W. sequimur nihil accipimus. Scriptor

autem disertis id verbis docet, dum nihil mutemus: *Caesar iubet — signa* (i. e. cohortes: 75, 5; 77, 3) *se leniter ordinatim consequi.* Tum demum apta sunt adverbia: *ordinatim*: quia hostes prope aderant; *leniter*: ne cohortes cum hostibus congrederentur antequam auxilia e castris adessent.

Orationis autem ambiguitas, qua tantopere captus est W., nata est inde, quod scriptor, qua erat neglegentia, utrumque enuntiatum *equitatum — arcessi* et *signa — se consequi*, quamquam inter se opposita sunt, ex aequo coniunxit particula *atque*, id quod saepius notandum est, ut 46, 3 *tirones — iubet — dispertiri et Cominium — prohibet adduci.* 23, 3 *neque postea litus attigit, classemque — convertit.* 9, 2 *ut oppida — ne vacua relinqueret praesidioque firmata — muniret* eqs.

13, 1 *hostes — aciem derigunt mirabili longitudine non peditum, sed equitum* [*confertam*], *et inter eos Numidas — interposuerant et ita condensaverant, ut procul Caesariani pedestres copias arbitrarentur.*

Ad haec W.: '*confertam* suspicionem movet, quia ubique cum instrumentali coniungitur non cum genetivo. Sin autem appositionis loco additum esse statuas (*aciem derigunt et confertam quidem*), id ipsum insequenti enuntiato expressum est (*condensaverant*). Quare grammaticus adscripto vocabulo id monere voluit aciem condensatam dici quoque posse confertam.' At hostes primum derigunt equestrem aciem mirabili longitudine. Deinde autem quamvis aciei longitudo solemnem modum excederet, fieri potuit, ut altitudo nihil haberet insoliti, id est ut turmae iuxta se essent collocatae (cfr. 41, 2 *ex instituto suo prima* [sc. acie] *equestri turmatim derecta*). Sed hac quoque in re acies aliquid insoliti habuit: aciem derexerant confertam, i. e. aliae post alias turmae constitutae erant. Hanc equitatus collocationem saepius usurpatam esse, inprimis si equitum numerus permagnus erat, quod hoc loco accidit, Froehl. (II, pag. 147) recte con-

clusit ex loco bello civ. III, 93, 4 *equitesque Pompei — se turmatim explicare — coeperunt.* Hoc tantum modo cum altitudo aciei una turma maior esset, aliqua similitudo intercedere potuit inter hanc equitum et cohortium collocationem. Deinde in fronte altera dissimilitudo removenda erat: solent enim turmae equitum non adeo coartari ut cohortes, cum equiti maius spatium opus sit ad equum commode utendum. Haec igitur intervalla si relicta essent, iterum omnis pedestris aciei similitudo evanuisset: itaque *in fronte equites peditibus interpositis — condensaverant.* cfr. praeterea 14, 2 *ex condensis turmis.* Quapropter cum *confertus* spectet ad altitudinem, *condensare* ad collocationem in fronte, neutro verbo carere possumus.

13, 2 [*interim*] *Caesar aciem derigit simplicem.*

W. frangi contendit vim oppositionis (*hostes interim aciem derigunt — interim Caesar aciem derigit*) repetita particula, qua legentes in eum errorem inducerentur, ut Caesarem aliud quoddam ac Labienum fecisse sibi fingerent. Certo proclivis est hic error: sed elucet inde auctoris inscientia scribendi. Ac praeterquam quod valde est dubium, senseritne omnino aliquid scriptor in usurpanda hac particula (altera enim in coniungendis rebus gestis sese excipientibus praesto ei non est)[1]), alia adsunt eiusdem generis exempla, velut 34, 3/4 *Sallustius interim — naves onerarias — complet atque in castra ad Caesarem mittit. Alienus interim proconsul — secundum commeatum in Africam mittit ad Caesarem.* 70, 6/7 *Labienus — ad suos se recepit. Scipio interim legiones — reducit in castra.*

14, 1 *subito adversariorum equitatus*[2]) *sese extendere* [*et in latitudinem promovere*] *collesque complecti* [*et Caesaris equitatum extenuare*] — *coeperunt.*

'*et Caesaris equitatum extenuare* ita interpretantur:

---

1) Apud Asinium haec coniunctio non occurrit.

2) *equitatus* O. *equites* P_1 et W. cfr. ad 15, 2.

Labieni equites Caesarianos numero inferiores et ipsos se extendere coegerunt. Quod tamen nullo exemplo comprobari potest. Grammaticus autem Asinii verba *extendere — que — que* temere turbavit duobus infinitivis copula *et* insertis': sic W. at idem extenuandi verbum prorsus eadem significatione (= *in longitudinem diducere*) occurrit 59, 2 *Numidas ita extenuatos et in longitudinem directos*, quo quidem loco W. *et — directos* uncis item saepsit. Sed cfr. Sall. Iug. 49, 1 *in eo colle Iugurtha extenuata suorum acie consedit* et Liv. V, 38, 1 *instruunt aciem d i d u c t a m in cornua ne circumveniri multitudine hostium possent. neque tamen aequari frontes poterant, cum e x t e n u a n d o infirmam et v i x c o h a e r e n t e m mediam aciem haberent.*

Deleto deinde hoc enuntiato (*et — extenuare*) omnino nihil de Caesaris equitibus in utroque cornu dispositis referretur: neque enim comperimus, sintne conati impedire, ne hostium equitatus ipsos circumeat, quod Caesar imperaverat (13, 2) *ut providerent, ne ab hostium equitatus multitudine circumirentur.* Exspectamus igitur scriptorem suo loco allaturum esse, quomodo providerint huic periculo Caesariani equites. Circumeuntibus autem hostibus solum occurrere potuerunt acie extenuanda (cfr. locum Livianum).

14, 2—3 *subito ex condensis turmis pedites Numidae — [cum equitibus] procurrunt et inter legionarios [pedites] — iacula coniciunt.*

W. tacite uncis inclusit *cum equitibus*. At equites una cum suis peditibus procucurrisse patet ex sequentibus *illorum equites r e fugiebant* et *dum equites rursus cursu renovato — succurrerent.* Nam si cum peditibus n o n procucurrissent, cur r e fugerent, non liqueret.

De additamento *pedites*, quod Oudendorpius delendum censuit, cfr. ad 75, 5.

15, 2 *equitatus interim Labieni suorum multitudine confisus Caesaris paucitatem circuire conatur: qui [equites Iuliani] [pauci] multitudine hostium defessi equis con-*

vulneratis paulatim cedere, hostis[1]) *magis magisque instare.*

W. ex sua ipsius coniectura *pauci* et Forchhammerum secutus *equites Iuliani* delevit. Sed si relativum *qui* referendum esset ad *Caesaris paucitatem*, i. e. ad cunctas Caesaris copias, tota haec paucitas, ut ex sequentibus apparet, equis instructa fuisset et hostium multitudine defessa paulatim cessisset. Illud ineptum est, hoc pugnat cum iis quae capitis initio referuntur, ubi legionarii non defessi cessisse sed longius progressi esse narrantur. Quod deinde rem decernit, *Labieni equitatus* non ad totam hostium aciem spectat sed ad solas equitatus copias in utroque cornu dispositas[2]). Hic igitur equitatus solis equitibus Iulianis instare potuit, hi equites Iuliani pauci (= cum essent pauci vel pauciores, cfr. 96, 2) multitudine hostium defessi (cfr. 18, 4 *equites iumenta — paucitate defatigata* —) paulatim cedere. Itaque verba a W. in suspicionem vocata ad sententiam utique necessaria sunt. Sed structura admodum est impedita addito pro-

1) *hostes* A. rec. W. Sed cfr. 12, 3 *cum hostis conspici posset*; idem 18, 4; 5; 27, 1; 39, 2 eqs.

2) In proelio Ruspinensi duo equitum genera scriptori erant discernenda: equites in utroque cornu dispositi, dum mediae aciei equites Caesarianos pedites vexant et turbant (15, 1), id egerunt, ut pulsis Caesaris equitibus (13, 2) totam aciem circumvenirent. Quapropter ne utrumque genus a legentibus confunderetur, constanti usu illos, cum constarent ex turmis firmis, *equitatum*, hos, quibus pedites essent intermixti, *equites* nominavit, velut 13, 1 *acies non peditum sed equitum.* 14, 2 *pedites cum equitibus procurrunt; equites refugiebant; . . . dum equites peditibus suis succurrerent.* 15, 1 *dum equites longius ab signis prosequuntur; equites . . . pilum militis — cursu facile vitabant.* At 13, 2 *equitatus hostium*; 14, 1 *equitatus*; 15, 2; 15, 3.

Huic certissimo usui solum obstat 13, 1 *dextrum ac sinistrum cornu magnis equitum copiis firmaverant.* Sic edunt cum AV. Tamen mea quidem sententia *equitatus* genetivus restituendus est ex reliquis libris π et β, qui praebent *equitatum.*

nomine *qui*, quod editores delere solent. Quod nisi mutatione lenissima scribere velis *cui*, pronomen sic explicari potest, ut scriptor id referri voluerit, quod iam W. sensit, ex intellectu ad nomen paucitatis. Tum recordatus in utroque cornu equites Iulianos impedire ne circuirentur a Caesare iussos esse vim pronominis addita praepositione coercuit. Similia cfr. pag. 53 adn. 1.

15, 3 *omnibus [legionariis] ab hostium equitatu circumventis, [Caesarisque copiis] in orbem conpulsis, intra cancellos omnes coniecti pugnare cogebantur.*

Duos hoc loco grammaticos auctoris verba interpolasse statuit W., qui vocabula *legionariis* et *Caesarisque copiis* eiecit. Quo facto ei ex coniectura *et* post *copiis* addendum fuit. Sed si vocula *et* genuina fuit, intellegi nequit, cur addiderit alter grammaticus *Caesaris q u e copiis.* Deinde si sensit *legionariis* additum esse 'inscite', cur non delevit? Sublatis denique his verbis structurae durities nascitur gravissima *omnibus* — *coniectis* — *et compulsis omnes* — *cogebantur*: subiectum enim ablativi abs. et enuntiati primarii non solum idem est, verum etiam idem nomen iteratur *omnibus* — *omnes.* In reliquis autem eiusdem structurae exemplis scriptor constanter subiectum vel obiectum mutavit aut alterutrum omisit. 10, 2 *omnibus insciis* — *sollicitabantur*; 37, 2 *omnibus insciis* — *iubet omnes legiones* — *educi*; 18, 2 *hostes suis firmatis* — *adoriri coeperunt* eqs. Itaque et hoc loco subiectum mutasse aliis vocabulis scriptor censendus est. Deinde vero cum antecedens enuntiatum spectet ad solos equites, in hoc enuntiato mentio legionum utique desideratur. Usurpavit igitur id vocabulum, quod ei ex contrario maxime fuit proclive et in quo omnis vis posita est: *legionariis.* In altero autem membro amplioris notionis verbo usus est *Caesarisque copiis*, quia circumventis legionariis equites quoque in orbem coniecti erant. Sane altera notio *Caesarisque copiis* deesse potuit, quia notio *legionariorum* vel *legionum* ex usu huius

scriptoris *equites* quoque amplecti potest (cfr. ad 75, 5). Sed videas alia huius verbositatis exempla pag. 33 adn. 1.

17, 1 *Caesar — iubet aciem in longitudinem quam maximam porrigi [et] alternis conversis cohortibus — ita coronam hostium dividit.*

'*et* copula delenda, quia nisi alternae cohortes conversae et in secundam aciem reductae intervalla reliquissent, acies non potuit porrigi.' W.

At ex W. sententia eae cohortes, quae cornua tenent, locum servant neque in latitudinem promoventur: acies igitur in longitudinem non porrigitur. Quod cum ipse sentiat, contendit verbis *in longitudinem quam maximam* id quoque auctorem significare potuisse aciem esse extenuatam octo ordinibus ad sex redactis. Sed neque scriptor quidquam eiusmodi dicit et haec aciei mutatio, utpote difficillima, nec in tirones quadrat nec in summum rerum discrimen (cfr. 16, 4). Itaque cohortium conversione acies in longitudinem porrigi non potuit. Sed res ita se habet: postquam legiones in orbem compulsae sunt, non cohortium, ut voluit W., evanuerunt intervalla, quae omnino non fuisse Froehl. (II, pag. 155—161) docuit, sed ordines *compressi* vel *densati* [1]) erant. Iam Caesari id agendum erat, ut hoc intervallum quod erat inter singulos milites iuxta positos restitueretur: itaque iubet *aciem in l. quam max. porrigi* i. e. manipulos, quantum fieri possit, laxari. cfr. bell. Gall. II, 25, 2 *milites manipulos laxare iussit, quo facilius gladiis uti possent.* Deinde reliquum erat, ut corona hostium divideretur: itaque iubet alternas converti cohortes, ut duplex existat acies (qua via hoc factum esset, recte exposuit Stoffel). Itaque copula *et* coniungit verba finita *iubet* — et — *dividit* — atque artiore vinculo connectenda sunt verba *alternis conversis cohortibus — ita coronam —*

---

1) Froehl. II, pag. 149: für das Aufgeben des Rottenabstandes finden wir gebraucht *ordines comprimere* oder — *densare.*

dividit. In his adverbium *ita* cum repetat notionem verborum *alternis conv. coh.* plane est otiosum. Facit autem hoc in pleonasmo hic auctor cum bell. Hisp. anonymo 39, 1 *Pompeius saucius et intorto talo i d c i r c o tardabatur ad fugiendum.*

18, 2 *Atque hostes* [*suis*] *ex terrore firmati*[*s*] *rursusque renovatis animis legionarios conversis equitibus* [*recipientes*] *novissimos adoriri et impedire coeperunt, quominus in castra se reciperent.*

W. deleto pronomine *suis* ablativum absolutum mutavit nominativo *firmati*, qui respiceret ad *hostes.* At sana esse verba cum usu probatur scriptoris, qui et pronomine ipso et eius ablativo absoluto delectetur (velut 34, 6 *suis hilaratis*; 41, 1 *suis male acceptis*; 93, 1 *cognita caede suorum*; 39, 4 [*suis fugientibus*] *suppetias ire*; 39, 4 *quo celerius suis auxilium ferret*; 78, 8 [*sui*] *sublati — in fugam — dederunt*; 83, 2 *suos post se — proterere*; 31, 9 *victoriae suorum* [1]); et sic tricies praeterea), tum inprimis quaesita orationis concinnitate *suis firmatis rursus q u e renovatis animis*: nam particula *que* tum demum locum iustum obtinere potest, si coniungit utrumque abl. abs.; in W. autem coniectura ea prorsus absona. In sequentibus W. cum codicis D prima manu *conversis equis* edidit et *recipientes* resecuit. *equitibus* enim probari non posse, cum hostes et equites iidem essent. At si *conversis equis* ad hostes, ut W. vult, spectat, verborum collocatio asperrima est, quippe quae eo loco posita sint, ubi quivis ea referat ad Caesarianos. Et re vera haec verba Caesarianos notant. Nam explicant, cur non ut fieri solet (cfr. ad 75, 5). e q u i t e s se receperint novissimi, sed legionarii. Pronomen *se*, quod sine dubio addendum est, facile excidere potuisse loci docent 9, 2; 25, 5; ubi item coniectura restitutum est.

---

1) W. cum A. *victoriae suae* scribi vult. Sed contradicit et codicum auctoritas et usus scriptoris.

cfr. praeterea locum bell. Alex. simillimum 60, 4 *Itaque* (Marcellus) *copias reducere coepit. Cassius adgressus equitatu legionarios se recipientes complures novissimos — interfecit.* Animadvertas praeter loci similitudinem curam quoque illius scriptoris, qui ut languidam evitaret sermonis repetitionem, recipiendi vocabulum priore loco mutavit reducendi verbo. Hic autem compositionis varietatem adeo neglegit, ut idem recipiendi verbum inter paucos versus quater (17, 1; 2; 18, 2 (bis) usurpaverit. cfr. pag. 33 adn. 3.

18, 4 *Caesarisque equites iumenta ex nausia recenti, — [paucitate] vulneribus defatigata.*

paucitatis vocabulum nihil sane praebet offensionis. Nam quo minor est militum numerus, eo gravius, si quid perficiendum est negotii, his paucis est nitendum, cum recentes submitti non possint. Itaque p a u c i t a t e perbene possunt defatigari Caesariani. cfr. praeterea ad 15, 2 *equites p a u c i m u l t i t u d i n e hostium d e f e s s i.*

19, 1 Hoc caput omnium videtur esse corruptelis turbatissimum. Velut statim initio codices exhibent haec:

ex adversariis perfugae plures ex omni genere hominum et praeterea intercepti hostium complures equites peditesque.

Hac in sententia nonnulli offenderunt critici praeeunte Gudio, qui coniecerat *perfugere plures* —, quod homines, qui in Caesaris castra perfugerent, non possent a Caesarianis intercipi. Sed nulla videtur opus esse mutatione: invenimus hoc loco structuram, quam zeugma vocant, ita ut scriptor alio uti vocabulo in animo habuerit (velut — *in castra accepti*), quod deinde militum notione inducta mutavit intercipiendi verbo. Alia zeugmatis exempla habes 40, 5 *copiis campo collibusque exturbatis* (pro *campo exturbatis collibus deturbatis* ut 39, 2); 44, 5 *vitam et pecuniam donare* (pro *vitam concedere et pecuniam donare*). Praeterea animadvertas in simili structura verbum item pertinere ad utrumque enuntiati membrum, quamquam

zeugma non invenitur: 25, 2 *Cirtam* — *capit et praeterea duo oppida Gaetulorum.* Numeralia autem *plures* — *complures* apte usurpata sunt. Plures enim perfugae in castra accepti sunt, quam milites intercepti. W. igitur sine idonea causa temptavit: *perfugere complures* — *nonnulli equites.*

Oudendorpius denique delevit *hostium.* Sine dubio genetivus languet, non solum quia insequenti statim versu iterum legitur, sed etiam quia per se patet, qui *ex adversariis* intercipiantur, *hostium* esse milites. Sed qui inde colligat verbum esse delendum, naturam scriptoris haud scio an non perspexerit. Exempla docent: 63, 3 *atque etiam hostium custodibus* — *in ea nave captis triremem hostium proximam* — *cepit.* Deinde si narravit nonnullas hostium naves captas esse, reliquas incolumes effugisse, per se intellegitur has reliquas item fuisse hostium. Tamen genetivus additur 63, 4. Porro si equitatus impetu legionum loco pellitur, illos hostes fuisse ultro apparet. Tamen adest genetivus 69, 3; 71, 2; 72, 2; id. 58, 4; 73, 3; 83, 4 eqs. Ac ne id quidem eis, qui genetivum *hostium* delendum censent, concedendum est *hostium* et *ex adversariis* notiones coniungi non posse. Nam et saepius scriptor haec synonyma permutavit (velut 14, 1 — *magnam vim hostium* — *adversariorum equites*; 78, 8 (Caesariani) [*in hostes*] *impressione facta in fugam adversarios dederunt*), et hoc loco notio *ex adversariis* nihil aliud nisi loci significationem notare videtur, cum genetivus *hostium* indicet, quae ratio intercesserit inter utramque partem. Nam illam loci significationem iterum invenimus 27, 1 *cum ab adversariis* (i. e. ab Scipionis militibus, qui adversus elephantos Scipionis instructi erant) *lapides mitti coepissent.*

19, 3 *et ita Labienum dixisse pro contione tantam sese multitudinem auxiliorum adversariis Caesaris subministraturum ut etiam caedendo* — *defatigati* — *superarentur, quippe qui sine illorum fide sibi confideret.*

De huius loci structura quadam ex parte iam egimus pag. 28 et 53. Substantivum *fide*, quod pendeat ex praepositione *sine*, codex L ex mera addidit coniectura insequenti usus adiectivo *fideles*. W., qui ante *sine* inserit *vel* voculam superfluam, cum reliquis editoribus Leidensis vestigia pressit. At per totum hoc bellum Scipioni Labienoque id quam maxime agendum erat, ut sibi conciliarent Iubae auxilium. Neque equites nec levis armatura eis praesto erat nisi Iubae auxilio. Iubae autem nomen in antecedentibus exhibent codices: *ita Iubam dixisse.* Cuius scripturae defensionem etsi Forchh. (pag. 105 seq.) scite suscepit, tamen eam non posse locum obtinere omnes intellexerunt editores et restituerunt, quod ratio postulat, *et ita Labienum dixisse.* Attamen qua via hoc mendum natum sit, sic non explicatur. Si autem fingimus *Iubae* nomen suo intercidisse loco, deinde in margine adscriptum esse, certe facile fieri potuit, ut id alieno loco insertum nomen Labieni, quasi esset correctura, loco pelleret. Itaque scribendum esse coniecit Kiessling *quippe qui sine Iubae auxilio sibi confideret.* Sibi autem confisus erat Labienus et propter Caesarianorum tumultum et propter copiarum suarum fidem et numerum: itaque scriptor, quot fuerint copiae adversariorum, exponit. Qua in enumeratione Numidarum mentio quorum Labienus semper erat dux utique facienda erat. Id solum tenendum est in referendis fiduciae causis scriptorem verba modo suae modo Labieni accommodasse rationi: *quippe qui sine Iubae auxilio sibi confideret, primum* (ex ratione scriptoris, qui ipse haec scivit), *quod audierat* — *legiones veteranas dissentire neque* — *velle transire*; *deinde quod* (ex ratione Labieni) — *suos milites* — *fideles sibi iam effecisset,* [*maxima autem auxilia haberet Numidarum levisque armaturae*]. Hucusque scriptor Labienum pro contione fecerat dicentem. Reliqua auxilia ex sua iterum memoria adiecit, et apte decurrit oratio, modo, quod Kiessling item sensit, initio verba hoc modo

transponantur: *praeterea quos Labienus ex fuga — transportaverat equites Germanos Gallosque, ibique postea ex ibridis, libertinis servisque conscripserat, armaverat, uti frenato condocefecerat*[1]. Hoc solo modo recte discernuntur Labieni auxilia, quae constabant ex Numidis equitibus peditibusque, ex Germanis Gallisque, ex ibridis equitibus frenatis. Scriptor autem Labienum induxerat militibus suis monstrantem, cur explorata iam esset victoria et quibus in rebus haec spes niteretur et fiducia, quam inprimis et ante omnia auctam esse regis Iubae auxilio supra demonstravimus. Itaque Iubae copiarum enumeratio necessaria: *praeterea regia auxilia, elephanti CXX, equitatusque innumerabilis, deinde legiones conscriptae ex cuiusque modi generis amplius XII*[2] *milibus.* Qui igitur contendunt harum copiarum enumerationem ideo esse delendam, quia earum nullus fuit Ruspinae usus, errant. Neque enim quantae copiae illi proelio interfuerint, his enuntiatis scriptor exponere vult, sed qua spe atque fiducia Labienus inflatus pugnam commiserit.

19, 4 *cum equitibus — MDC, Numidarum sine frenis VII milibus — sagittariis ac funditoribus hippotoxotisque* [*compluribus*].

Pronomine secluso numerus desideratur sagittariorum funditorum hippotoxotarumque. Is autem reliquis copiarum

---

1) Ut in loco desperato W. ***condidicerat*** O.

2) Constabant igitur quattuor Iubae legiones amplius XII milibus hominum, singulae itaque amplius ternis milibus. Qui numerus cur aptus non sit, non exputo. Nam rex Numidarum non legionariis sed equitibus levique armatura valuit. Accedit, quod ne Caesaris quidem legiones firmiores fuisse videntur; cfr. Froehl. II, pag. 8. W. quidem adnotat: '*amplius XII sc. legiones.* Interpolator IV regias et X Scipionis computasse videtur.' Sed legitur *XII* non *XIV*. Pleonasmus vero *cuiusque modi generis* ex solito huius scriptoris usu est; cfr. 23, 1; 36, 1. de ellipsi cfr. 60, 2 *ex tironum.*

generibus constanter est additus. Itaque et huic generi scriptor eum addidisse censendus est (cfr. 1, 4 *classesque — complures*). Atque pronomen eandem vim comparativam habet, quam 78, 8 *multis occisis, compluribus vulneratis* et sic saepius.

20, 1 *remigum partem [ex classe] Gallorum, Rhodiorum epibaturumque armare et in castra evocare.*

W. supervacanea esse verba *ex classe* censet, quia nulli sint remiges extra classem; quae si ad *evocare* pertinerent, propius verbum collocanda fuisse, ut 20, 1 *ex navibus in castra conportare.* At conferas collocationem plane similem 20, 4 *ex omni Africa frumentum — in pauca oppida — comportasse.* Structura illa dura inde orta est, quod et appositio *Gallorum Rhodiorum* — a notione definienda parum apte dirimitur (cfr. pag. 27 adn. 2) et quod scriptor figuram prothysteri hoc loco admodum insulse usurpavit; nam ab initio ea uti in animo non habuit. Ea autem usus est, quia vulgaris verborum collocatio debiliorem praebere ei visa est enuntiati clausulam *ex classe — in castra evocare et armare.* Est igitur genus quoddam anacoluthiae natae studio artis rhetoricae.

Paulo infra leguntur haec: *sagittariisque ex omnibus navibus Ityraeis, [Syris] et cuiusque generis deductis* [1]) [*in castra*] [*compluribus*].

Structura *ex omnibus navibus — deducere in castra* consimilis est ei, quam supra defendimus, neque quidquam in ea inest, quod vituperes. Deinde concedi potest *compluribus* omnino non desiderari, si deesset. At hoc vagae notionis vocabulum scriptor mirum quantum amat, quippe quod plus vicies extet, idque nonnullis locis, ubi nihil nisi versum explet: 1, 5 *in dies et naves longae adaugeri, et onerariae complures eodem concurrere.* 35, 4 *complures Gaetuli, qui sumus clientes C. Mari* (nam omnes Gaetuli

1) *ductis* O em. W.

tali in condicione erant). 74, 1 *se res complures — subministraturos* (nam omnes res subministrabunt). 79, 1 *locaque idonea opportunaque complura — occupare.* 77, 2 e. q. s. Denique delevit *Syris,* quod ad explanandum Ityraeorum vocabulum adscriptum esset. Sed *et cuiusque generis* tum demum apte ponitur, si plus uno hominum genus antecedit. cfr. 36, 1 *dilectus — libertinorum, Afrorum, servorum, denique et cuiusque modi generis hominum.* Deinde autem cfr. bell. civ. III, 4, 3 *sagittarios — ex Ponto atque Syria reliquisque civitatibus habebat.* Itaque et nostro loco Syri ab Ityraeis diversi, Emeseni erant vel Apameni eqs.

20, 4 *priore enim anno propter adversariorum dilectus, quod stipendiarii aratores [milites] essent facti, messem non esse factam.*

Froehl. (I, pag. 63) *milites* delendum censet. Auctorem enim ipsum dicere priore anno messem non esse factam. Unde sequi neminem propter adversariorum dilectus adfuisse, qui agros coleret. Iam autem si soli stipendiarii aratores conscripti essent, perbene per reliquos, qui stipendia nulla solverent, messem fieri potuisse. Sed nullam omnino factam esse. Itaque omnes aratores milites esse factos et vocabulo *milites* deleto *stipendiarii* significare *qui stipendia merent* i. e. *milites.* Hanc coniecturam sagaciter excogitatam W. probavit, sed immerito. Non enim observavit, quantopere hic scriptor res augere solitus sit in maiorem Caesaris gloriam. Itaque dicit messem non esse factam, omnem Africae regionem exinanisse frumento. Sed si messis omnino facta non esset, quomodo tum pergere potuit scriptor adversarios ex omni Africa frumentum comportasse in pauca oppida? Unde hoc frumentum provenit nisi ex messe superiore? Porro quid sibi volunt tum verba 21, 1 *Caesar privatos ambiendo — aliquantum numerum frumenti in sua praesidia congesserat?* Patet privatos agricolas opponi alii generi hominum, qui publice agros cole-

rent, stipendiariis nempe aratoribus. Idem denique scriptor aliis locis satis frumenti in Africa fuisse refert, ita ut plane oblitus esse videatur, quam inconsiderate rem hoc loco auxerit, velut 36, 2; 67, 2; 9, 1; et 65, 1 frumentum, quod incolae, sine dubio aratores, sub terra conditum habebant, ex prioris anni messe fuisse patet. Quibus ex locis sequitur primum priore anno messem factam esse, deinde autem agricolas ex parte tantum, stipendiarios dico, conscriptos esse.

22, 1 *M. Cato — Cn. Pompeium multis verbis assidueque obiurgare [non desistebat].*

W. *non desistebat* resecuit. Requirit enim tempus perfectum propter additam temporis notionem et auctorem verbi *desistendi* cum negatione coniuncti unum admisisse perfectum. W. nimis severe iudicasse videtur. Mihi quidem hoc loco imperfectum multo aptius videtur propter obiurgationem assiduam et iteratam. cfr. 29, 3 *quod ubi saepius facere non intermittebat.* Ipsum desistendi vocabuli imperfectum raro quidem sed tamen usurpatur. Velut Cicero, qui in orationibus et scriptis philosophicis vicies usurpet perfectum, bis imperfecto utitur locis huic simillimis: leg. agraria II, 12 *interea non desistebat clam venire.* Verr. II, 61 *simul illud iterum postulare non desistebant.*

Quicumque Catonis orationem cap. 22 relatam legit, facere non potest, quin concedat huius partis colorem plane distare ab reliquo commentario. Genus dicendi est uberrimum. Synonyma ut in oratione qua animus moveatur large quidem et copiose tamen apte et scite usurpata sunt. Inprimis auctor id egit, ut singula enuntiata gravibus integrisque ornarentur clausulis. Sed in hac tanta ubertate oratio elegantissime decurrit: nullam habemus structuram laxam aut duram, nullam verborum compositionis molestam asperitatem. Itaque tota haec oratio ab auctoris commentarii ingenio est aliena. Iam si quaerimus, qua ratione mira haec huius eclogae ab reliquis diversitas

nasci potuerit, duae nobis sese offerunt explicationes. Fieri potuit, ut oratio, cum commentarius ederetur, insereretur: id quod probabilitatis speciem prae se non fert. Neque enim ullum adest vestigium, quo commentarium retractatum esse appareat. Itaque altera multo videtur probabilior ratio, ut scriptor hanc Catonis orationem aliunde, exempli gratia ex litteris, quae Utica in Caesaris castra delatae sunt, acceperit et sic ut accepit in libellum coniecerit. Quin id fieri potuerit, nemo vocabit in dubium, cum inter utraque castra commercium fuisse satis celebre perfugarum epistularumque auxilio ex ipsa eluceat scriptoris narratione. Parum igitur caute W. in hanc orationem intulit genuini Asini sermonis documentum — adverbium dico *plane* (cfr. pag. 16 v. 8) — praesertim cum omnino nihil mutandum sit. Examinemus enim paulo accuratius scriptoris verba § 1 *Tuus pater cum — animadvertisset rempublicam a perditis sceleratisque civibus oppressam bonosque aut interfectos* ⟨*esse*⟩ [1]) *aut exilio multatos patria civitateque carere — paene oppressam funditusque* [2]) *deletam Italiam urbemque Romam in libertatem vindicavit.*

Ad haec W.: *paene* perversum est, quod p a e n e o p p r e s s u m non potest dici quod idem f u n d i t u s est d e l e t u m, et quia supra rempublicam o p p r e s s a m fuisse dixerat. At praetervidit priore loco agi de r e p u b l i c a, altero d e I t a l i a seu potius de t e r r a I t a l i a e. Itaque perditi et scelerati cives rempublicam oppressam tenebant: nam Mariani urbe potiti omnia soli administrabant. Italia autem bellis antecedentibus funditus deleta tamen p a e n e tantum oppressa dici potuit, quia Cn. Pompeius Magnus Italiam meridionalem Sullae retinuerat. Itaque haec omnia si quidquam sana sunt et placent.

---

1) *esse* inserendum putamus, ne *interfectos* ex aequo coniungendum videatur ac *multatos — carere.*

2) *funditus* α.

22, 5 *Tu contra et patris nobilitate [et dignitate] et per te ipse satis animi magnitudine diligentiaque praeditus.*

nobilitas ad originem spectat, *dignitas* ad locum in civitate rebus gestis paratum: haec igitur notio summi est momenti et hoc loco maxime necessaria. Idem docet enuntiatorum aequabilitas, qua huius initium per chiasmum opponitur priori: etenim *patris nobilitas* verbis *neque tam excellenti dignitate maiorum parta* et *patris dignitas* verbis *non ita amplis rebus patris gestis* contraria sunt. Itaque si W. sequeremur, verba ultima *non ita — gestis* non haberent, cui essent opposita, vel nudum *et patris nobilitate* ad duo spectaret enuntiata amplissima: *non ita — gestis neque tam — parta.*

23, 1 *expeditoque exercitu numero [servorum liberorum] duum milium — ad oppidum Ascurum accedere coepit.*

Novak. fortasse recte animadvertit ablativo *numero* adverbialiter usurpato statim subiungendum fuisse, quot milites fuissent. Qua de causa verba *servorum liberorum* non eicienda sunt, sed ablativus *numero* transponendus est *servorum liberorum duum milium numero.* W. autem contendit genetivos adiectivis *inermem armatam* adscriptos esse. Sed ex his adiectivis minime apparet Pompei exercitum constitisse partim ex liberis partim ex servis. Immo haec verba necessaria sunt, si quidem auctor Pompeium filium irridere videtur. Nam quamquam aliis locis deminutiva usurpat significatione propria exuta, tamen hoc loco deminutiva *adulescentuli, naviculorum* una cum notabili pleonasmo *cuiusque modi generis* propria irrisionis vi usurpasse putandus est, quo cum studio concinunt verba in discrimen vocata. Accedit quod idem in sequentibus iterum apparet § 3 *Ita re male gesta Cn. Pompeius [filius] naves inde avertit*, ubi W. appellationem filii deleri vult, cum idem iam 23, 1 dictum sit. Sed vocabulum cum acumine positum notabile infert contrarium: cogit enim eum qui legit filium ab ignoti cuiusdam oppidi incolis turpiter fugatum

comparare cum p a t r e praeclarissimarum victoriarum laudibus ornato, miseramque hanc f i l i i repulsam cum honorifica illa de p a t r e habita Catonis oratione.

26, 1 *legatum in Africam* [*cum copiis*] [1]) *venisse.*

Quamquam additamentum *cum copiis* plane est otiosum, tamen id deleri quam maxime vetat scriptoris usus. cfr. 33, 3—5 *Considius — cum VIII cohortibus ad Acyllam ire contendit. Messius prior Acyllam c u m c o h o r t i b u s pervenit. Considius interim cum ad urbem c u m c o p i i s accessisset —.* 36, 4 *P. Sittius — c u m c o p i i s Numidiae fines ingressus castellum — est potitus.* 49, 1 *Caesar — c u m c o p i i s progredi coepit.* Idem 7, 6; 11, 4; 67, 3; 74, 2 eqs. In his subsistam, ubi unum exemplum addidero, quo appareat hunc usum scriptori adeo fuisse solemnem, ut eum sequeretur, ubi a sententia quam maxime alienus est. Leguntur enim 6, 5 haec: *cohortibus paucis ex veteranis quas secum habebat in extremo agmine conlocatis et parte equitatus, iter leniter c u m r e l i q u i s facere coepit.* Itaque cum veteranis cohortibus et parte equitatus iter Caesar non fecit?!

Talia si quidquam huius scriptoris docent ingenium.

26, 3 *Quorum lacrimis querelisque Caesar commotus cum antea constituisset* [*e stativis castris*] [2]) *aestate inita cunctis copiis auxiliisque accitis bellum cum suis adversariis gerere, instituit litterisque celeriter* [*in Siciliam*] [*missis*] *ad Alienum et Rabirium Postumum conscriptis et per catascopum missis, ut — quam celerrime exercitus sibi transportaretur —.*

Haec in archetypo extitisse codicum docet consensus, nisi quod A *accitis* participium, quod reliquis in codicibus corruptum est, bene servavit. Eiusdem librarii felici coniectura factum est, ut omitteret prius *missis* in O natum ex falsa insequentis participii repetitione. Cui mendo

---

1) *venisse cum copiis* L. rec. W.

2) *ęstati vis castris* V (sic!).

librarius codicis π inconsiderate succurrere studuit, cum alterum participium indicativo *mittit* mutaret. Totius autem enuntiati structuram sanam non esse patet. Itaque Em. Hoffmann. excidisse ratus infinitivum, qui penderet ex instituendi verbo, supplevit *iam nunc gerere.* Quam coniecturam W. quoque amplexus est, qui verbis mutatis inseruit *hieme gerere.* Sed et facilius et elegantius structura emendatur, si ex Kiesslingi coniectura *que* particula deleta pro *instituit* restituitur *institit*: *cum antea constituisset — aestate inita — bellum — gerere, institit litteris[que] celeriter in Siciliam ad A. et R. P. conscriptis et — missis, ut —.* cfr. Colum. 12, 3 9 *institere atriensibus, ut supellectilem exponant.*

W. autem primum seclusit verba *e stativis castris.* Discrepantiam enim codicum docere *aestate* primum in *aestatis,* mox in *stativis* abiisse. At qua via *castris* natum sit, hoc modo W. non explicat; deinde in nullo codice legitur *aestatis.* Itaque haec causa nihili est. De reliquis quas W. profert utpote levibus nihil dicam. Nam si Caesar in animo habuit aestate demum inita bellandi facere initium, ubi versari vellet per hiemem, quaerendum ei fuit. Ex hoc igitur loco discimus eum voluisse ponere castra stativa vel hiberna. cfr. 47, 2 *ad hoc — incommodum accesserat, quod Caesar non — in hibernis exercitum continebat.*

Deinde verba *in Siciliam,* cum statim sequatur *ad Alienum et Rab. Post.,* superflua esse W. contendit. At hunc scriptorem saepius abundare in significatione loci et temporis (cfr. pag. 52, 3) exempla docent sequentia: 33, 3—4 *Salustius — praetor — naves onerarias — in castra ad Caesarem mittit. Alienus — proconsule — secundum commeatum in Africam mittit ad Caesarem.* 4, 2 *litteras — captivo dat perferendas in oppidum ad Considium.* Hoc loco verba multo magis languent. Nam Considium oppido praeesse auctor narraverat antecedentis capitis initio. Nostro autem loco Siciliae mentio fere

necessaria: quis enim recordatur scriptorem narrasse cap. 8 Rabirium in Siciliam missum esse, vel cap. 2 Alienum praetorem Siciliam obtinuisse? cfr. praeterea 3, 1 *postquam Adrumetum accessit —, ibi — ante portum commoratus.* 62, 5 *Adrumeto ex cothone egressus.* 35, 4 *ad te in tua praesidia confugere.* 92, 1 *ad Caesarem Uticam mittunt.* 92, 4 [*Zamam per-*][1] *veniunt ad Caesarem.* 88, 3 [*intro*] — *in cubiculum.* Itaque cum videamus nimiam fere auctorem navasse operam locis accurate definiendis, in § 4 *in Siciliam*, quod omnes adhuc deleverunt editores, utique est retinendum:

atque ipse in tanta erat festinatione et exspectatione, ut postero die quam misisset litteras [*nuntiumque*] ⟨*in Siciliam*⟩, *classem exercitumque morari diceret.*

Nam verba illa in O extitisse consensus docet codicum α (= AV) et β. Novak. ultro progressus *nuntiumque* quoque delendum censet. Demit igitur huic scriptori proprietatem, qua supra docuimus (pag. 15) eum ab Asinio discrepare, cum hic semper usurpet *tabellarius* ille *nuntius cum litteris* aut *nuntius et litterae.* Deinde autem bimembris oratio insequens (*litteras nuntiumque — dies noctesque — oculos mentemque — depositos derectosque*) Novaki coniecturae refragatur.

26, 5 *animadvertebat enim — pecus diripi* [*trucidari*], *oppida castellaque dirui delerique*[2] *principes — aut interfici*[3] *aut in catenis teneri, liberos eorum — in servitutem*

---

1) Haec Woelfflini coniectura pessima est. Neque enim vidit *Zamam pervenire* constanti scriptoris usu defendi. cfr. 1, 1 *Lilybaeum pervenire*; idem 33, 4; 34, 1; 62, 1; 63, 1; 87, 1; 2; 89, 2; 92, 4 eqs. Quibus nititur locis (6, 7; 7, 1; 92, 3 *ad Caesarem venire*) ne minimum quidem probatur.

2) *deserique* O. em. Froehl. (I, pag. 79) collato 20, 6. Accedit quod in *deserendis* oppidis nulla cerni potest crudelitas.

3) *trucidari* coniec. W.

abripi; his se in miseriis suamque fidem implorantibus auxilio — esse non posse.

W. *trucidandi* vocabulum loco movet, quod in caedendis pecoribus nulla insit crudelitas. Sane, si homines ad victum cotidianum pecus trucidant. At hoc loco scriptor narrat pecus, quod non direptum esset, ultro et temere trucidatum esse, id quod certe summae est saevitiae. Sed initium alterius enuntiati sic ut editur sanum non est. Nam particula *-que* (*suam q u e*) cum nihil coniungat sententiam turbat. Itaque W. ex parte codicem A qui praebet *in miseris* secutus coniecit *his se miseris suamque fidem implorantibus*; sic particula quidem apta est; sed quid tum sibi velit dativus *his miseris*, quove spectet, plane obscurum est. Nam si spectat ad *principes* et *liberos*, perversa nascitur sententia, quoniam hi aut interfecti aut in vincula coniecti fidem Caesaris implorare non iam possunt. Itaque necessarium est, ut hoc enuntiatum habeat notionem communem, qua ad omnes spectet provinciae incolas; hanc assequemur deleta particula *que: his se in miseriis suam fidem implorantibus — auxilio esse non posse.* Quae emendatio nullam difficultatem praebet, cum librarii mira quadam neglegentia versati sint in tractanda hac particula, quam saepius male aut addiderunt aut omiserunt velut: 3, 4; 6, 6, 7; 9, 1; 11, 3; 18, 5 (bis) eqs.

27, 2 *quod aegre tardeque fiebat: rudes*[1]) *enim elephanti multorum annorum doctrina usuque vetusto vix edocti, tamen communi periculo in aciem producuntur.*

Enuntiatum non tam contortum est, ut W. videtur. Sententia enim haec est: elephanti rudes, etsi diutina vel doctrina usuque vetusto aegre edoceri possunt, tamen c u m communi periculo in aciem producuntur. Audimus Caesaris veteranum, qui i n u n i v e r s u m[2]) elephantorum usum,

---

1) *rudes* em. π. *audes* α. *audere* β.

2) Praesens quoque *educuntur* commendat hanc interpretationem.

quo summus dux ipse abstinebat, vituperat, quique omnino in dubium vocat, possintne elephanti adeo edoceri, ut in pugna suis non sint maiori detrimento quam hostibus. Hoc enim significat *communi periculo* = *communi omnium* (tam amicorum quam hostium) *periculo*. Quod W. intellexit *in communi omnium* (tam bestiarum quam hominum) *periculo*, plane absonum est.

28, 1 *C. Vergilius — navem — actuariam complet militibus — et eidem scaphas [de navibus] adiungit.*

Immerito W. verba *de navibus* uncis saepsit. Nam Vergilius actuariae adiungit scaphas, quas de navibus (sc. aliis, aut ut patet ex contrario longis) deduxerat. Naves autem longas scaphis instructas fuisse probatur bell. Gall. IV, 26, 4 *scaphas longarum navium — militibus compleri iussit.* bell. civ. III, 24, 1 *scaphas navium magnarum cratibus — contexit.* Exspectamus sane voci *de navibus* attributum addi, quo discernatur ab actuaria. Sed prorsus similiter scriptor hanc determinationem omisit 36, 2 *quo facilius et frumentum et copiae suae conserventur*, quo loco cum frumentum ipsum sit e copiis exspectatur *copiae* ⟨*aliae*⟩ sive ⟨*reliquae*⟩.

28, 4 *petiisse dicitur maior Titius a centurionibus, uti se priorem [quam fratrem] interficerent, idque ab eis facile impetrasse [atque ita esse interfectos].*

Hoc loco W. cum verba *quam fratrem* (quae scriptor posuit, quia in eis tota huius loci vis inest) tum *atque ita esse interfectos* seclusit. Interpolationem enim ostendi *impetrandi* verbi significatione et accusativo *interfectos* contra grammaticorum praecepta a *dicitur* suspenso. At maior Titius a centurionibus impetravit, uti se priorem interficerent, non autem ut se fratremque necarent (cfr. *interfectos*). Unde simul sequitur accusativum c. inf., quia subiectum mutatur, necessarium fuisse. Accedit quod, cum structura per infinitivum continuatur, accusativum excipere nominativum aliis exemplis probari potest, velut Cic. Tusc.

disp. V, 22 *mihi non videbatur quisquam beatus esse posse, cum in malis esset, in malis autem sapientem esse posse, si* — eqs. Itaque, quod attinet ad structuram, haec verba sana sunt. Quamquam admodum languent. Sed haec est nulla delendi causa.

29, 2 *Labienus interim cum parte equitatus Leptim — oppugnare ac vi inrumpere conabatur; quod [ab defensoribus] — facile — defendebatur.*

W. cum relativum *quod* ad *Leptim oppidum* referret, verba *ab defensoribus* delevit. Nam *oppidum ab defensoribus defenditur* inanem esse repetitionem. Quid vero si relativum ad totum enuntiatum vel potius ad verba *oppugnare ac vi inrumpere* spectat? Tum evanescit is pleonasmus, qui W. offendit: defensores sunt defensores oppidi, a quibus oppugnatio et irruptio d e f e n d i t u r, i. e. r e p e l l i t u r. cfr. Caes. bell. civ. II, 9, 4 *defendere ictus ac repellere*; id. II, 2, 4 *omnibus rebus, quibus ignis iactus et lapides defendi possent*; sim. Cic. pro Milon. 9.

30, 2 *quod cum saepius fieret —, despecta patientia Caesaris exercitusque eius, [Iuba] — haud ita longe a Caesaris castris constitit in campo.*

Iubae mentionem absonam esse Aldus vidit. Nomen additum esse a librario quodam vix probabile videtur. Multo verisimilius est natum id esse e corruptela. Quod si statuimus, aut novum exspectamus enuntiati primarii subiectum velut *ipse* (cfr. 9, 1 *Lepti — praesidio relicto i p s e rursus — Ruspinam convertit, ibique sarcinis relictis i p s e — proficiscitur*) aut cum e x e r c i t u s vix dici possit *patiens* (nam summus dux patiens est, ut 35, 2; 31, 8), vocabulum desideratur unde pendeat alter genetivus (nondum inveni, quod proponam). Accedit quod genetivorum collocatio, qua u t e r q u e notioni, unde pendet, postponitur *d e s p e c t a p a t i e n t i a Caesaris exercitusque eius* quod sciam iterum non invenitur. cfr. 11, 3 *a d v e c t i s militum equitumque c o p i i s*; idem 30, 2; 50, 2; 75, 3 eqs.

31, 4 *Atque*[1]) *haec non ipse per se coram —, sed mirabili [praeditus]*[2]) *scientia bellandi — imperabat [quae fieri volebat]*.

Enuntiati anacoluthia, quae inde orta est, quod obiectum *haec* pendens ex imperandi vocabulo in fine posito definitur enuntiato relativo, prae reliquis gravioribus anacoluthiae exemplis nihil habere potest offensionis; accedit quod compositio *quae fieri vellet* scriptori admodum est consueta 7, 1; 46, 1; 57, 2. Hoc autem loco indicativus usurpatur, quia relativum non adnectit sermonem obliquum ex imperandi verbo aptum sed tantummodo definit et circumscribit pron. demonstr. *haec* et simplicis instar est obiecti.

31, 5—7. Expositurus quibus rebus commotus Caesar confisus sit hostes castra sua non esse aggressuros scriptor tres affert causas. Quarum prima, ut patet ex verbis *et concessam vitam et ignota peccata*, inprimis spectat ad duces, qui saepe a Caesare victi vitam eius beneficio servatam habebant. Itaque hac de causa nihil eos assumere potuisse spiritus scriptor concludit. Unde sequitur, ut in verbis *quibus [rebus] nunquam tanta suppeteret ex ipsorum inertia — victoriae fiducia* iniuria W. deleverit *rebus*. Praeterea dativo suppetendi verbum carere potest, si is sicut hoc loco ex sententiarum connexu patet. cfr. bell. Gall. VII, 77, 2.

Altera deinde sequitur causa: *praeterea ipsius nomen auctoritasque magna ex parte eorum [exercitus] minuebat audaciam*, quae si item ut W. vult ad duces spectat, nihil fere novi addit et abundat. Diversa autem est, si refertur ad exercitum eorum, praeterquam quod imperatoris nomine magis commoventur milites quam duces. Itaque genetivus *exercitus* bene se habet neque offendemur genetivo ex gene-

---

1) *ad* α; *at* β em. Froehl.
2) em. Koehler. *peritus* O.

tivo suspenso in eo scriptore, qui exempli gratia dixit 26, 2 *de adversariorum eius crudelitate*; 32, 1 *desperationeque [exercitus] Caesaris*; sim. 13, 2; 28, 2; 52, 2; 60, 2; 4; 62, 2, et sic saepius.

Tum tertia sequitur Caesaris fiduciae causa, posita in egregiis castrorum munitionibus, *quae vel sine defensoribus aditum adversariis prohibebant.* Omnia haec sunt apta. Pergit autem excusaturus, cur Caesar e t c a s t r a t a n t o p e r e m u n i e r i t, n e c c o p i a s i n a c i e m e d u x e r i t. Haec autem quae excusare studet etsi verbis sunt diversa ad idem redeunt, vel sic comparata sunt, ut alterum ex altero sequatur: utrumque igitur eadem defenditur ratione, sui scilicet exercitus tirocinio et paucitate, propter quam Caesar optimo iure acie instructa decertare verebatur. Hoc peritissimi imperatoris ducendi belli consilium hic scriptor adeo non laudat, ut contra excusandum putet. Itaque mirum non est ut rationes ab eo prolatas ita etiam ipsa enuntiata contortius ne dicam insulse esse composita. Refert enim haec: *atque haec propter exercitus sui praesentis paucitatem et tirocinium praeparaverat, non hostium vi et metu commotus patientem se timidumque hostium opinioni praebebat*: causa quam disertis verbis reicit, verbis mutatis eadem est ac illa quam comprobat: propter exercitus condicionem (19, 2) Caesar hostium multitudini nullo modo par esse potuit. Quid? quod eandem hostium vim metuit, cum omnes ei praesto essent copiae (cap. 71; 72).

Deinde excusare studet, cur Caesar acie non decertaverit. Causa ut iam exposui eadem est ac prior: hostibus copias suas pares non esse perspexerat. At scriptor hic eandem causam, quam antea eadem in re concesserat (copiarum paucitate et tirocinio Caesarem bellum ducere coactum esse), proprie reicit et causam addit quae quid valeat, cum Caesar proelium inire omnino non potuerit, alii diiudicent: *neque idcirco copias [quamquam erant paucae tironumque] non educebat in aciem, quod victoriae s u o r u m diffideret,*

sed referre arbitrabatur, cuiusmodi victoria esset futura. Turpe enim sibi existimabat — ab reliquis copiis adversariorum suorum — se cruentam adeptum existimari victoriam. In his W. seclusit verba *quamquam — tironumque.* At scriptor cum ipse sentiat, si quis hanc tirocinii paucitatisque causam quam ipse antea concesserat hic obvertat, a veritate eum non aberrare, diserte eam negandam putat verbis a W. deletis. Quae dicta sunt in parenthesi, in qua *quamquam* locum sibi vindicat solemnem, velut Cic. Phil. I, 27 *irasci quidem vos mihi — pro republica dicenti non oportebit — q u a m q u a m te id facturum non arbitror — s e d eum iracundum audio esse factum.*

33, 1 *legati — veniunt seque [paratos] quaecumque imperasset [et] libenti animo facturos pollicentur. tantum orare et petere ab eo uti sibi praesidium daret — se et frumentum et quaecumque [res] eis suppeterent — subministraturos.*

W. resecuit *paratos* atque *et.* Hanc autem coniecturam si amplectimur, cur scriptor verba *se et frumentum — subministraturos*, quae ab omni parte languent, addiderit, non perspicimus. Quorum rationem saltem assequimur, si statuimus structurarum synchysin factam esse ex *se libenti animo, quaecumque imperasset, facturos* et *se paratos esse quaecumque imperasset subministrare.* Itaque imperandi verbum duplici significatione usurpatum est, quemadmodum et cum accusativo obiecti (*obsides, pecuniam,* similia *imperare*) et cum enuntiato finali (*imperare, ut*) invenitur. Qua synchysi facta posteaquam praedicatum *subministraturos* coactus est ut omitteret, proprio id enuntiato adnectendum esse sibi persuasit. Hac via verba illa otiosa *se et frumentum — subministraturos* nata sunt.

Cur denique *res* delendum censeat W., non exputo. cfr. enim 74, 1 *se r e s complures — subministraturos*; idem 36, 4; 47, 3, 6; 91, 1 eqs.

35, 1 *Quibus rebus Scipio quique cum eo essent*[1]) [*comites*] *mirari et requirere.*

W. indicativo *erant* secundum L probato Kreyssigio auctore *comites* seclusit. Sed omnino explicari non potest, cur interpolator hoc vocabulum addiderit, qui in loco simillimo 57, 1 *quod postquam Scipio quique cum eo erant cognoverunt* ab omni interpolatione manum abstinuerit. Deinde autem verba *quique cum eo erant* referri possunt ad totum exercitum (cfr. 86, 1 *si posset Vergilium quique cum eo obsidebantur — a pertinacia deduci*). Hoc autem loco solus Scipio et cohors amicorum moventur singulari Caesaris bellandi ratione. Reliquus exercitus bono fuit animo in adversariorum quae videbatur trepidatione et desperatione (cfr. 32, 1). Quapropter pronomen relativum addito comitum vocabulo coercet vim praedicati, ita ut coniunctivus archetypi utique sit necessarius[2]).

36, 1 *M. Cato qui Uticae praeerat dilectus cotidie libertinorum,* [*Afrorum,*] *servorum denique* [*et*] *cuiusque modi generis hominum qui modo per aetatem arma ferre poterant*[3]) *habere.*

'*Afrorum* nomen hoc solo loco occurrere neque significare quartum quoddam genus hominum, cum etiam libertinos servosque Afros fuisse statuendum sit': W. At in conscribendis militibus nullius omnino fuisse momenti constat, cuius fuerint tirones legionarii originis: id quaesitum est, fuerintne cives Romani an non. Et semper adversariis Caesaris vitio obvertebatur, quod legionarios conscripsissent vernaculos non cives Romanos (bell. civ. II, 18, 1; opp. II, 20, 4; bell. Alex. 53, 5;

---

1) *erant* L rec. W.

2) Hoc loco infeliciter nisus W. delevit idem vocabulum 93, 2 *quem Gaetuli* [*sui comites*] — *concidunt.* Quo cum discernantur Gaetuli, comites Considii, a Gaetulis latronibus, qui Numidiam vexabant, vix carere possumus.

3) v. Cic. pro Marc. 32 pro Deiot. 16.

54, 3; 57, 1). Itaque et hoc loco exponendum erat, fuissetne dilectus lege sancitus necne: quod scriptor refert figura quae anticlimax vocatur. Nam libertini, cum essent ipsa manumissione cives Romani, conscribi poterant. Dilectu indigni erant liberi Afri. Plane autem inauditum servos, gladiatores similes conscribi. Compositio similis sed non per eandem figuram invenitur 19, 3 *quos Labienus — ex ibridis, libertinis servisque conscripserat.*

De reliqua loci structura cfr. Cic. post reditum II, 3 *amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique et dies festi.*

41, 3 (Caesar) *arbitratus Scipionem ad dimicandum paratum ad se [certo animo] venire.*

certo animo defenditur bell. Gall. VIII, 18, 2 *nostri ad proeliandum animo atque armis parati.* Itaque verba *ad dimicandum paratus* aciem spectant ad dimicandum instructam. Contra sociativus *certo animo* indicat in Scipione fuisse animum promptum certumque dimicandi.

42, 1 *et sibi difficile factu esse intellexit simul et oppidum [uno tempore]* [1]) *oppugnare et in acie [in cornu dextro ac sinistro] ex iniquiore loco pugnare.*

Alter localis *in cornu dextro ac sinistro* quem W. seclusit necessarius est. Quo deleto verba *in acie* i. e. *in offener Feldschlacht* ad totam spectarent aciem. Acie autem pugnatur in utroque tantum cornu, media Caesaris acies oppidum oppugnat, id quod obscuratur, si W. sequimur.

46, 4 *qua ex re Caesar commotus eos quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum [custodiae causa] in salo esse iusserat, ut [suis onerariis longisque navibus] praesidio essent, — dimittendos curavit.*

Froehl. (I, pag. 42) *custodiae causa* delenda censuit,

---

1) cfr. pag. 52 adn. 3.

cum usus scriptoris, qui solum *ignominiae causa* admisisset, *custodiae gratia* requireret. Quod falsum esse W. ipse docuit. Idem tamen resecuit haec verba, cum id repeterent, quod fusius enuntiato finali exprimeretur. At ne hoc quidem verum est. Nam Caesar naves contra hostes in statione disposuit custodiae causa (hoc generaliter dictum), ut (si necesse esset) navibus suis commeatu onustis praesidio essent. Unde sequitur, ut verba *suis onerariis longisque navibus* necessaria sint, quibus deletis demum verbositas illa, qua offensus est W. (sed vide pag. 77) extitit.

47, 1 *res incredibilis* [*auditu*].

W. supinum sustulit. Neque enim *incredibilis auditu* veterum exemplis confirmari neque cur imber a u d i t u horribilior fuerit quam d i c t u satis intellegi. Altera causa nihili est. Eodem iure, si scriptor *dictu* usurpasset, hoc in suspicionem vocare liceret. Accedit quod *auditu* a scriptore consulto cum acumine quodam positum esse videtur: narrat enim quid acciderit v i g i l i a n o c t i s s e c u n d a. Noctu autem imber et grando fragore auditur, non cernitur. Plane quidem simile huius elocutionis exemplum non invenitur, nisi id quod W. ipse ex Curtio attulit X, 5, 3. Neque autem multum distat Cic. in Pis. 32 *hoc mirabile auditu esse videatur*.

47, 4 *in Africa — non modo nihil sibi quicquam adquisierant* [*aut paraverant*], *sed etiam ante parta consumpserant*.

Codicum scriptura duplici ratione defenditur: m i l i t e s v e t e r a n i nondum sibi quicquam a d quisierant (sc. ad ea, quae prioribus militiis sibi paraverant), t i r o n e s nihil omnino sibi paraverant. Alteram rationem W. ipse monstravit, qua adquirendi verbum ad stipendium, parandi ad praedam (ad pelles, strata, similia) spectat.

51, 3 *id hac ratione* [*opus instruebat*], *ut* —.

Plenior haec oratio defenditur: 1, 2 *hoc eo consilio fecit, ne*. 60, 4 *id eo consilio fecerat, ut*.

54, 4 *ob eas res ignominiae causa ab exercitu meo ⟨te⟩ removeo hodieque te ex Africa abesse [et] quantum pote [proficisci] iubeo.*

W. voculam *et* et verbum proficiscendi delevit propter ea quae § 5 sequuntur: *missosque facio et quantum pote abesse ex Africa iubeo.* Sed iniquum est postulare, ut eaedem sententiae iisdem exprimantur verbis inprimis in imperatoris oratione, ubi scriptor cum copioso tum vario dicendi generi magnam navavit operam (velut variavit orationem in verbis r e m o v e n d i — d i m i t t e n d i — m i s s u m f a c i e n d i; cfr. etiam Avienum dici m i l i t e s i n s t i g a s s e; Fonteium esse t r i b u n u m s e d i t i o s u m; reliquos i n s e d i t i o n e c o n c i t a n d i s q u e m i l i t i b u s f u i s s e s t u d i o s i o r e s eqs.). Sed accedit tertium: sine dubio ut patet ex Caesaris verbis Avienus fuit omnium maxime noxius. Itaque in hunc gravissimum proponi iudicium aequum est: quam celerrime proficisci (sc. ex castris) eodemque ipso die Africa cedere iubetur, idque ignominiae causae. Reliqui tam gravi poena non sunt digni: Fonteius simpliciter ab exercitu dimittitur. Reliqui iubentur quam celerrime Africam relinquere.

54, 5 *Tite Saliene — C. Clusinas cum ordines in meo exercitu beneficio non virtute [sitis] consecuti ita vos gesseritis, ut neque bello fortes neque pace — utiles fueritis, indignos vos esse arbitror —.*

Coniunctivus *sitis*, quem omnes delere solent editores, aptissime se habet, modo alter coniunctivus *gesseritis* indicativo mutetur: *cum — sitis consecuti, ita vos gessistis, ut — fueritis studiosiores: indignos vos esse arbitror —.* Patet quanto sic fiat oratio nervosior. Simul varietatis studio satisfit.

54, 6 *Itaque tradit eos centurionibus et singulis non amplius singulos additos servos in navem imponendos separatim curavit.*

Miram huius enuntiati structuram emendare studuit

Vielhaber: *singulos non amplius singulis additis servis.* Sed multo facilius et elegantius Kiessling. genuinam restituit scripturam, cum perspexisset *tradit eos* male diremptum esse ex *traditos.* Nam quod A praebet *tradidit*, nullius est momenti.

57, 3 *usu venisse hoc civi Romano* — [*Iubae*] *barbaro* — *oboedientem fuisse* —.

Adiectiva, quae in lingua nostra locum tenent attributi, in latina pronomine vel substantivo addito ut appositio nomini proprio adiungi solent. Sed hanc legem non severe observatam esse probatur Cic. de sen. 54 *doctus Hesiodus.* 73 *Solonis* — *sapientis elogium.* Tac. ann. XIII, 55 *clarus* — *et* — *fidus* — *Boiocalus.* Praeterea autem *Iubae* nomen proprium ideo tolli non licet, quia opponitur insequenti *Scipionis.*

59, 1 *conlocarat*[1]) *in fronte suas* [*et Iubae*] *legiones, post* [*eas*] *autem Numidas in subsidiaria acie ita extenuatos* [*et in longitudinem directos*] *ut procul simplex esse acies media* [*ab legionariis militibus*] *videretur* [*in cornibus autem duplex esse existimabatur*].

Recte intellexit W. in prima acie solum locum tenuisse Scipionis legiones, Iubae legiones substitutas esse in subsidiaria acie. Qua de causa, cum et Iubae et Scipionis Labienique Numidae adessent, quod iam saepius animadvertimus (cfr. ad 2, 5), nomen *Iubae* sedem mutavit et suo post *Numidas* loco restituendum est. Deinde W. non recepit Nipperdei emendationem (*eas* pro archetypi corruptela *ea*), sed *ea* delere praetulit. Pronomine autem deleto, quicumque leget, *post* voculam non adverbium sed praepositionem esse ratus coniunget *post autem Numidas.* Sed hoc levius; gravius id quod hic scriptor adverbium *post* nunquam usurpavit ad loci sed semper ad temporis notionem significandam. cfr. 18, 5 *hostibus* — *post colle*

---

1) *conlocabat* O. em. Novak.

deiectis, at 9, 2 *post se*; sim. 17, 1; 27, 1; 40, 3; 80, 5; 83, 2. Itaque et § 3 W. coniectura falsa est *post autem* [*elephantos*]. Collocatio insolens, qua praepositio et nomen ex illa pendens dirempta sunt alia vocula, defenditur locis a W. iam citatis: Nep. Eum. 13, 1 et Suet. de gramm. 16. Addo ex Ciceronis de fin. II, 13, 43 *post enim Chrysippum* ubi Madvicus plura huius insolentiae exempla Ciceroniana attulit.

Ipsam autem aciei descriptionem satis obscuram esse constat: cui obscuritati W. Davisium secutus verbis *a legionariis militibus* delendis, Nipperdeius vero ita mederi conatus est, ut *in cornibus — existimabatur* resecaret (quaest. Caes. 217). Antea enim cornua ne commemorata quidem esse, sequentibus autem nihil referri, quam ob rem cornua duplicis aciei speciem praebere potuerint. Contra haec monendum est scriptorem non describere velle, qua ratione acies Scipionis orta sit (quod non potuit), sed qualis instructa acies intuentibus Caesarianis sese obtulerit. Spectant autem haec verba ad solam aciem Iubae, cui praesto erant cohortes viginti quattuor. Iam autem cum Scipio, cui erant legiones octo (20, 2), aciem instruxisse putandus sit triplicem, ita ut in fronte tetenderint cohortes triginta duae, sequitur Iubam, qui secum habebat cohortes triginta (sic! cfr. 48, 1) deductis tamen VI contra Gaetulos missis (52, 2), aciem instruxisse simplicem et propter paucitatem ita extenuatam et in longitudinem directam (cfr. 14, 1), ut cohortibus suis XXIIII latitudinem aequaret Scipionis XXXII. Tamen simplex haec acies Caesarianis in cornibus duplex visa est, cuius rei causa fortasse inde repetenda est, quod in utroque cornu omnis levis armatura post elephantos substituta ante et iuxta hanc aciem simplicem cernebatur, ita ut altioris aciei in cornibus maxime densatae suspicio in Caesarianorum oreretur animis.

ab legionariis militibus verba sunt ambigua, quae utique spectent necesse est ad Caesarianos intuentes. Haec significatio legentium animis statim se offert praeeunte adverbio

procul. Orationis obscuritas inde nata esse videtur, quod scriptor ipse e legionariis militibus fuit. Eadem autem occurrit 15, 1 *equites autem hostium pilum*[1]) *militis*[2]) *cursu facile vitabant.* W. autem, cum desideraret *nostrorum* vel *Caesarianorum*, et hoc loco *militis* delere conatus est. Sed cum duo adsint eiusdem prorsus narrandi proprietatis exempla, nihil scripturae traditae tolli licet.

59, 5 *id hoc consilio, ut cum acies duae inter se concurrissent initio certaminis — eius equitatus circumvectus ex improviso clauderet — exercitum Caesaris atque — iaculis configeret.* [*haec fuit ratio Scipionis eo die proeliandi.*]

Ad haec W. adnotat: 'cum scriptor disertis verbis se expositurum esse professus sit (59, 1; 60, 1; 61, 1), quomodo et Scipio et Caesar aciem derexerint, haec verba *haec fuit — proeliandi* delere satius duximus.' Sed *proeliari* non significat *aciem instruere*, immo ratio proeliandi idem est ac ratio pugnandi. Itaque haec verba nec ad 59, 1 nec ad 61, 1 spectare possunt, sed solum ad capitis 59 verba proxima *id hoc consilio* et sequentia. Sed W. in delendo hoc enuntiato ea quoque utitur re, quod hoc solo loco auctor *proeliandi* verbo usus est. At haec causa satis est infirma. Eodem enim iure totum quod antecedit enuntiatum secludi debet, quia in eo solo invenitur vocabulum *certaminis.*

60, 1 *Caesaris autem acies hoc modo fuit conlocata* [*ut ab sinistro eius cornu ordiar et ad dextrum*[3]) *perveniam*].

Omissis quae uncis inclusa sunt vocabulis nullam omnino ansam haberemus, qua usi suum cuique legioni locum attribuere possumus. His autem servatis scriptor indicat se legiones a cornu sinistro initio facto eo enume-

1) *palam* λ. *pilum* O.
2) *militis* β. *milites* α.
3) *et ad dextrum* om. α.

raturum esse ordine, quo acie instructa sese exceperint. Cui promisso in §§ 1 et 2 satisfacit. Quapropter hinc nihil sequitur, quo verba illa eicienda esse probari possit. Sed W. ea quoque nititur in re, quod simile aliquid de Scipionis acie non est dictum. At hinc id solum colligi potest scriptorem, cum nihil certi de Scipionis acie scire potuerit (cfr. ad 59, 2), nihil temere sibi excogitasse.

60, 2 *in suo autem dextro cornu ex secunda acie veteranarum [legionum] partem cohortium collocaverat praeterea ex tironum adiecerat paucas.*

veteranarum partem cohortium, ut W. legendum esse censet, ideo falsum est, quod postquam omnes in Africam advenerunt milites, Caesari legiones firmae erant non cohortes. Quod attinet ad genetivum ex genetivo suspensum cfr. ad 31, 5.

60, 3 *Tertiam autem aciem in sinistrum suum cornu contulerat, et usque ad aciei suae mediam legionem porrexerat [et ita conlocaverat, ut sinistrum [suum] cornu triplex esset]* [1]).

Quantopere hic scriptor rebus gestis apte et dilucide describendis impar fuerit, iterum apparet in Caesaris acie qua via orta sit explananda. Nam id quod summi est momenti quot cohortes in dextro cornu conlocatae quaque ratione legionibus depromptae sint afferre omisit. Qua ambiguitate decepti Nipp. et W. cum describendae aciei studerent rem mihi acu tetigisse non videntur. Gravissimum id est, quod ea acies quam ex utriusque sententia Caesar constituerat in media quoque acie ex parte triplex est. Praeterea autem in W. ratione id falsissimum est, quod secundum eam tertia acies non in sinistrum cornu transfertur, sed in secundae mediae aciei locum succedit, cornu autem sinistrum contra diserta auctoris verba non mutatur. Si denique apud W. in dextrum cornu vetera-

---

1) Edimus hanc § turbatissimam sec. Nipp.

norum tironumque senae cohortes transferuntur, scriptoris verba *ex tironum adiecerat paucas* parum examinavit. Itaque omnia haec ipsis scriptoris verbis refutantur. Et uterque vir doctus errare debuit: nimium enim tribuerunt diligentiae huius scriptoris, cuius ex silentio collegerunt legiones Caesaris plenas fuisse. Deerant autem uni certe legioni cohortes nonnullae. Nam legionum in Africam transportatarum decem (cfr. 1, 5; 34, 4; 53) in acie erant constitutae novem. Deest igitur una legio firma, cuius cohortes sex (cfr. 9, 1; 29, 2) Leptim, reliquae quattuor[1]) Ruspinam defenderunt[2]). Praeterea autem quod Nipp. et W. incaute neglexerunt nonnullae cohortes Acyllam missae sunt (cfr. 33 et 67, 1 *praesidio Lepti Ruspinae Acyllae relicto*), ut unam ex illis octo legionibus quae afferuntur 60, 1 plenam non fuisse constet. Cui quot cohortes defuerint cum scriptor indicare supersederit, cumque aliae difficultates initio notatae accedant, qualis fuerit aciei species, significare non possumus. Itaque W. in verbis delendis nullo omnino niti fundamento apparet.

60, 4 *praesidio — legionem V. [prae]miserat.*

W. scribendum censet *miserat.* Nam praepositionem perperam repetitam esse. Quid? quod scriptor ipse eam *perperam* repetivit 6, 2 *equitatus subsidio eis — succurrit.*

62, 1 *insidiandique gratia [ab Utica] progressus.*

Verba *ab Utica* scripta fuisse in α consensus docet codicum ALV (sic!). Fuerunt etiam in β, quantum quidem concludi potest ex Duebneri adnotatione (*ab Utica* om. PL). Unde igitur W. sumpserit quod adnotat (*ab Utica* AL; om. R) nescio. Iniuria vero haec verba, quae sine ullo

---

1) Certo constat in hoc oppido non minus cohortium (fortasse etiam plus!) fuisse, cum 10, 1 plena legio ibi relicta esset praesidio.

2) Unde elucet quae leguntur 41, 1 *ex omnibus praesidiis cohortes deduxit* solum spectare ad castrorum non ad oppidorum illorum praesidia.

dubio in O extiterunt, ab editoribus omittuntur. Nam exemplis satis multis demonstravimus (ad 26, 3) auctorem in locis notandis abundare solere.

62, 3 *Aquila — promunturium superare non potuit atque angulum — nactus [cum classe] se — a prospectu removit. reliqua classis in salo ad Leptim egressis remigibus — partimque in oppidum victus sui mercandi gratia progressis vacua a defensoribus stabat.*

Hic locus iterum docet, quam parum accurate et dilucide scriptor verbosus res gestas narrare potuerit: nam narrationis ambiguitate W. deceptus verba *cum classe* delevit, quod hoc additamentum pugnaret cum insequentibus *reliqua classis in salo — stabat.* Putat igitur haec ultima verba spectare ad Aquilae naves: sed qui fieri potuerit, ut classis Aquilae ex portu Ruspinensi Adrumetum versus progressa Leptim perveniret, non curavit examinare, neque victus Aquilae remigibus deesse potuit, quippe qui in stationem proficiscerentur ante portum oppidi, unde commeare non potuerunt. Itaque *reliqua classis* Caesaris erat classis, quae remanserat in sinu Ruspinensi et inter Ruspinam et Leptim in salo stabat: in hanc omnia quadrant, quae ab Aquilae classe plane sunt aliena. Quam ambiguitatem scriptor facillime evitare potuit, si verbis *reliqua classis* genetivum *Caesaris* addidisset. Sed talia non curavit.

Iam vide quae sequuntur § 5: *Varus — Leptim vectus naves [onerarias] quae longius a portu in salo stabant incendit et penteres duas [vacuas a defensoribus] nullo repugnante cepit.*

Varus igitur noctu praetervectus Aquilae classem primo mane Leptim pervenit. Si *reliqua classis* Aquilae notaret naves, navium onerariarum locus nullus esset. Itaque W. *onerarias* delevit; at sunt onerariae Caesaris, atque ut perspiciatur quid rei fuerit, locus animadvertendus alter, ubi regione solum mutata eadem accidisse narrantur 63, 5 *Caesar — Adrumetum accedit ibique navibus onerariis*

8

quae erant extra cothonem incensis — rursus se recepit. Fuit igitur mos in his portubus, ut naves onerariae in salo extra cothonem ad ancoras deligarentur, cum onustae, sicut etiam magnae penteres (62, 5) propter vada propius litus appelli non possent. cfr. 11, 3 *navibus eis in portum receptis et a d v e c t i s* (sc. scaphis) *militum equitumque copiis.* Quid autem verbis *vacuas a defensoribus* faciendum sit, dubium esse potest. Si ut videtur 63, 3 *recuperata quinqueremi cum s u i s o m n i b u s e p i b a t i s* ad Caesaris spectat epibatas, tum non solum verba illa *vacuas a defensoribus* parum apta sunt, verum etiam eadem in 62, 4. Quare aut scriptor censendus est haec verba, ut excusaret acceptum incommodum, inconsiderate addidisse, quia nemo repugnavit, aut classis vacua dicitur a defensoribus, quia classiariorum altera pars, dico remiges, non aderat. Haec interpretatio admodum redditur probabilis ultimis capitis verbis *penteres duas vacuas a defensoribus nullo repugnante cepit,* ubi ut videtur duo distinguuntur defensorum genera.

65, 1 *est consuetudo incolarum, ut — specus — clam habeant atque id propter bella maxime — [praeparent].*

W. delevit *praeparent.* Difficiliorem enim habere explicationem pronomen *id.* At pronomen non ad certam antecedentis enuntiati notionem spectat sed ipsum totum enuntiatum (ut 29, 2) complectitur: *id* sc. *ut specus clam habeant.* cfr. 60, 4 *id* (sc. acies ex parte triplex ex parte duplex instructa) *eo consilio fecerat —.*

66, 3 *Cuius vim [multitudinis] cum equites pauci Caesariani [iam] sustinere non possent, —.*

Cum hoc loco ut tot aliis (47, 6 *aquarumque vi.* 69, 2 *equitibus hostium vi oppositis.* 52, 2; 70, 2; 78, 7) *vis* idem significet ac *impetus,* nihil est quo offendamus. Defenditur insuper vocabulum *multitudinis* et contrario adiectivi *pauci* et loco consimili 52, 2 *Caesariani vi universae — hostium multitudinis pulsi.* Particula *iam* nata est ex falsa repetitione clausulae vocis antecedentis *Caesar i a n i.*

67, 2 *magno invento hordei, olei, vini, fici numero, [pauco tritici] atque recreato exercitu.*

Cum adiectivum *paucus* rarissime numero legatur singulari (Froehl. I, pag. 61 affert solum Vitruv. I, 1, 6 et Gell. XX, 1, 31, conferendus quoque 31, 3 *alii quoque equitatui*), W. non solum ex L foede interpolato *parvo* recepit, sed etiam ut omnis offensio tollatur, verba *parvo tritici* delevit: non enim quid ea ad exercitum recreatum faciant posse intellegi; interpolationem fluxisse e 36, 2 *ex oppido Thysdrae in quod tritici modium milia CCC comportata fuerant.* Sed sine dubio scriptor simpliciter enumerat, quid in campo prope Aggar invenerint Caesariani, neque significare vult, omnibus his alimentis repertis exercitum esse recreatum. Deinde autem si interpolator illo loco nisus verba inseruit, mirum est, cur non inseruerit *tritici magnam vim* inventam esse. Nisi forte ei quae delectat varietati iste studuit.

69, 1 *Labienus Afraniusque — [ex insidiis adorti] agmini eius extremo se offerunt.*

Insidiarum mentio prorsus necessaria: alioquin non intellegimus qui fieri potuerit, ut novissimo demum agmini hostes sese obtulerint: in insidiis scilicet latuerant, donec maior agminis pars esset praetergressa: tum ex insidiis adorti sunt extremam. Adoriendi vocabulo scriptor absolute usus est ut loco simili 95, 2 *insidiis dispositis cum prima luce adortus* (sc. ex insidiis) — *reliquos interfecit.*

72, 1 *quibus ex rebus Caesar vehementer commovebatur, quod quotienscumque proelium erat commissum, equitatu suo — hostium equitatui levique armaturae eorum nullo modo par esse poterat. sollicitabatur autem [his rebus], quod nondum legiones hostium cognoverat, et quonam modo sustinere se posset [ab eorum equitatu levique armatura quae erant mirifica] si legiones quoque accessissent.*

In his W. primum delevit *his rebus.* Nam cum una sola sollicitudinis causa adferretur *quod nondum legiones*

cognoverat scribendum fuisse *hac re*. At ut concedamus unam tantum in sequentibus proferri *rem*, conferas 33, 1 *tantum orare et petere ab eo uti sibi praesidium daret* —; *se et frumentum et quaecumque res eis suppeterent* — *subministraturos*. Legati praesidium sed nihil praeterea impetraverunt. Exspectes igitur *qua re impetrata*, scriptor autem quasi plurima iam dixerit, graviter pergit *quibus rebus facile* — *impetratis*. Idem cadit in 92, 2 *ob has causas*. Sic et hoc loco pluralis *his rebus*, si ad unam spectaret rem, defendi potest. Sed non una, immo duplex profertur sollicitudinis causa: nam neque omnino legiones Scipionis cognoverat neque quomodo se et ab equitatu adversariorum mirifico sustinere posset, si legiones accessissent. Si autem verba *ab eorum* — *mirifica* delentur, omnino non apparet ad quid *legiones accedant*. Itaque haec verba omnia sunt prorsus necessaria.

Deinde W. coniecit pro *sollicitabatur autem*: *sollicitabatur etiam*. At *vehementer commovebatur* ea re differt ab insequenti *sollicitabatur*, quod illud significat *vehementer iratus erat*, ut 46, 4; 57, 1. Iratus igitur erat Caesar, quod equitatus ab hostibus usque ad id tempus semper fugatus erat. Sollicitabatur autem, quod quid virium inesset in Scipionis legionibus nondum cognoverat.

72, 4 *bestiarum odorem, stridorem,* [*speciem*][1]).

Nullam video causam, cur asyndeton quod sine dubio extitit in α, fortasse etiam in β interpositis particulis *-que* — *et* turbandum esse putaverint editores. Similiter[2]) enim 73, 2 *hostium dolos, artificia, insidias*; idem 8, 1; 57, 4; 81, 2. Vocabulum deinde *speciem*, quod W. in suspicionem vocavit, defenditur cum loco ab ipso citato: Florus I, 13 *elephanti, quorum cum magnitudine tum de-*

1) *stridorem* O. *stridoremque* π et edd. *speciem* α (= ALV), *et speciem* (β ?) edd.

2) Sed 91, 1 cum O legendum est: *domicilium coniuges liberosque*. *liberos* A. rec. W.

formitate[1]) *et novo odore simul ac stridore consternati*, tum antecedentibus § 3 *elephantorum magnitudo multitudoque*, § 4 *speciemque et virtutem.*

73, 2 *contra Gallos apertos [minimeque insidiosos] qui per virtutem [non per dolum] dimicare consuerunt.*

Quid argumenti ex hoc loco redundaret ad impugnandam Landgrafi sententiam, supra exposui pag. 20. Huius igitur loci vis ut minueretur, W. seclusit membra negativa, quamquam hoc sermonis genus scriptori perquam usitatum est, velut 29, 2; 51, 4 *facile et sine periculo*; sim. 31, 1; 33, 1 eqs.; cfr. W. ad 1, 2.

73, 2 *legati interim ex oppido Vaga, quod finitimum fuit Zetae, [cuius Caesarem potitum esse demonstravimus,] veniunt.*

Alterum enuntiatum glossematis prae se ferre speciem contendit W., quia priori adnectendum fuerit copula. Sed alterum enuntiatum relativum si priori adnecteretur particula *-que* vel *et*, ad oppidum Vagam spectaret. Id quod ineptissimum est, ut patet ex sequentibus: Vagenses petunt, *ut sibi praesidium mittat.* Itaque alterum enuntiatum ad Zetam spectat. cfr. 68, 2 *Caesar — oppidum* (Zetam) — *potitur.* Enuntiata igitur relativa hoc loco sese excipiunt pariter ac 3, 1 *Adrumetum — ubi praesidium erat adversariorum, cui praeerat C. Considius.* Aliqua tantum ex parte similes sunt loci sequentes: 85, 4 *ut — ducemque aliquem requirerent [quem respicerent], cuius auctoritate imperioque rem gererent.* 38, 2 — *turrique* —, *quae proxima fuit castris adversariorum [in qua docui esse* (fuisse?) *praesidium Numidarum].* His quoque duobus locis W. cum desideraret copulam, alterum enuntiatum seclusit. Sed cfr. 91, 1 *ad oppidum Zamam, ubi ipse domicilium habebat, quo — omnem pecuniam comportaverat.* Cic. Verr. IV, 4 *Cupidinem fecit illum, qui est Thespiis, propter quem*

1) *magnitudo et deformitas = species.*

Thespiae visuntur. Denique ea quoque re W. ad coniecturam suam adductus est, quia desideretur *supra* vel tale quid. Refellitur hoc 48, 1 *cum eis copiis quas commemoravi.*

75, 2 *atque [iter] ad oppidum Sarsuram ire contendit.*

Antequam de ratione quae inter codices intercederet constaret, cum LP *iter* omitterent, editores horum librorum auctoritatem sequi potuerunt. Iam autem apparet vocabulum, cum et in α (= AV) et in β inveniatur, in archetypo extitisse. Itaque cum exempla quamquam pauca occurrant, ubi in hac figura etymologica obiectum internum attributo careat, cuius rei exempla composuit Landgrafius in actis semin. Erlangensis II, p. 14—18, vox utique retinenda videtur. Conferas quoque 91, 3 *precibus orare,* ubi W. adnotat scriptorem priscae latinitatis colorem imitari, quod substantivum attributo careat. His quae W. ipse exposuit defenditur alter locus, ubi simile quoddam variatae figurae etymologicae genus omisso attributo invenitur 36, 3 [*verba*] *proloqui.* Sed hic W. sibi non constans *verba* seclusit.

75, 3—5 *Labienus — agmen extremum carpere coepit atque — propius audaciusque accedit ad legiones —. Itaque* (Caesar) *eos* (tricenos ex singulis legionibus expeditos) *in equitatum Labieni inmissos [turmis suorum] suppetias mittit.*

Quia supra Labienum ad legiones accessisse narratum esset, W. verba *turmis suorum* delevit. At his resectis satis mirum est, quod in tota huius itineris pugna mentio nulla fit Caesaris equitum: nam in eiusmodi itineribus equitatus agmen extremum claudere solebat. cfr. 6, 2; 6, 5; 69, 2; 70, 1 eqs. Itaque hic primus sustinebat Labienianorum impetum, cum agmen extremum carperent propiusque accederent ad legiones i. e. equites ad legiones repellere coepissent. Quapropter re vera Caesar expeditos illos subsidio misit *turmis suorum.* Prorsus denique eadem res occurrit 52, 1, quem locum praetervidisse W. miror. — *Iuba ac Labienus in legionarios impetum fecerunt. equites*

Caesariani — parumper cesserunt. Unde apparet scriptorem notione legionum vel legionariorum comprehendere equites quoque legionum (cfr. Tacit. ann. 73 *turmae sociales equitesque legionum*). Idemque probant sequentes loci: 37, 2 *iubet omnes legiones — se consequi — Ruspinam —. inde — propter mare legiones ducit —.* Sed 38, 2 Caesari equitatus quoque praesto est. 69, 4 *in Caesaris legionarios impetum faciunt Numidae.* Sed 70, 2 Caesar equites propter equorum interitum extremo agmine removit. Quapropter perbene discerni apparet legionarios pedites vel milites[1]) et legionarios equites. Et re vera legitur 14, 2 *inter legionarios pedites iacula coniciunt,* quo loco editores omnes iniuria ut mihi videtur *pedites* delent.

77, 1 *rem [male] gestam docent.*

Spreta Vascosani emendatione, qui litteris melius diductis *rem a se gestam* scripsit (*l* pro *s*, ut 26, 5 *deleri* pro *deseri* reponendum fuit, et 20, 4 A item *deseri* exhibet pro *deleri*), W. *male* a grammatico additum esse censet, qui Thabenensium perfidiam notandam esse putaret. Dolendum sane, quod pium hunc grammaticum non saepius deprehendere licet. In sequentibus autem *orantque ut suis fortunis p. r. quod*[2]) *bene meriti essent auxilium ferret* facili mutatione ex Kiesslingi emendatione restituendum est: *ut suis fortunis populus R., quo de bene meriti essent.*

77, 3 *itaque [cum his] copiis [et] omnibus [legionibus] eductis.*

Quid scriptor in animo habuerit dicere, ex alio commentarii loco coniectura assequi possumus. Nam 34, 6 secundus commeatus die quarto (i. e. celeri navigio peracto

---

1) cfr. 59, 2; 70, 2; 72, 1; 75, 6 *legionarius miles.* Nam ut apparet e 11, 3; 15, 1 *pilum militis* eqs. voce militum pedites notare solet.

2) *quod* om. α. *p. r. cum* Nipp. *cum de p. r.* W.

cfr. 2, 5) in Africam pervenit incolumis (sc. ab hostibus et tempestatibus). Tamen milites, cum Caesari eo tempore otium fuerit, ex languore et nausia reficiuntur. Nostro autem loco cum legionibus et copiae (quoque) modo advenientes educuntur. Qua ex festinatione legentibus apparere putat scriptor, quantopere fuerit Caesar animo atque armis paratus ad depugnandum (idem apparet e 79, 1; similiter 11, 3 Caesar cum rei frumentariae inopia premeretur, cum copiis post longam iactationem maritimam advenientibus statim frumentatum est profectus), cum advenientes sui reficiendi moram habuerint nullam. Quamquam exspectamus horum militum mentionem adnexam esse legionibus, cum alio loco hae maioris sint momenti: cum omnibus legionibus et his copiis eductis. Hic autem copiarum recentium notio, quia cum certo quodam acumine aliquid novi adfert, gravior scriptori visa est ideoque priore loco posita.

79, 1 *hostes ne intrare [ad se] ac loca interiora capere possent.*

Scriptor *intrare*, *introire* similia nunquam absolute usurpat; cfr. 7, 2; 89, 2; 90, 1. Defenditur insuper *intrare ad* loco Liviano VI, 2, 9 *intrare ad munimenta*; Terent. Hecyra 551 *intrare ad amicam*; Phaedrus V, 9, 2 *intrare ad praesepia.*

82, 3 *Dubitante Caesare — et — aciem sustentante subito dextro cornu iniussu [Caesaris] tubicen — canere coepit.*

Genetivo *Caesaris* non opus esse W. dicit perspici ex 61, 3 *cum subito pars equitatus Caesaris — iniussu ac temere longius progressi.* Sed hoc exemplum propterea nihil probat, quia genetivus *Caesaris* paucis verbis antea legitur et quia arto vinculo coniuncta sunt: *iniussu ac temere*, hoc vero loco nomen initio enuntiati positum est. Quapropter repetendum id scriptor putavit, iterato non pronomine (velut *eius*, ut Novak. coniecit) sed ipso nomine

proprio. Similiter 79, 2 *Scipio — cognitis Caesaris consiliis — confestim Caesarem consecutus.* cfr. pag. 31 in fine.

83, 2 ***bestiae — in portas valli — ruere*** [*contendunt*].

Cur W. *contendunt* parum aptum dixerit verbo ruendi, non intellego. Nam contendendi vocabulum scriptori mirum quantum usitatum simplicis instar est verbi auxiliaris quod verbis eundi addi solet, ut augeretur notio celeritatis. Similiter eo scriptor usus est 83, 1 *equo admisso ire contendit*; sim. 50, 4; 85, 4 eqs. cfr. pag. 33 adn. 2.

84, 2—3 ***elephans — militem proboscide circumdat atque in sublime extollit*** [*armatum*] [1]). ***qui in eiusmodi periculo cum constanter agendum sibi videret, — proboscidem*** [*qua erat circumdatus*] ***caedere — non destitit.***

armatus, quod W. seclusit, tum demum otiosum videbitur, si scripturam Leidensis falso distinctam et interpolatam receperimus. Praeterea tum in sequenti enuntiato ex codice A coniunctio *cum* Woelfflinio recipienda fuit, quae cum in O desit, in A ex prava repetitione insequentis praefixi *con* nata est. Nihil autem habes quod vituperes in enuntiato, quale extitit in O (= P [2]) et β): *elephans — militem — extollit. Armatus, qui constanter agendum sibi videret, proboscidem — caedere non destitit.*

Notionem *armati* pro *militis* scriptor saepius usurpavit, velut 3, 2; 12, 2. Levissimo denique archetypi nisus mendo (*quo* pro *qua*) W. enuntiatum relativum delevit. Nam idem (sc. elephantum militi proboscidem circumdedisse) dictum iam esse § 2. Vide pag. 32 v. 16.

85, 1 ***ex oppido eruptionem — faciunt,*** [*et*] ***sive ut suis subsidio occurrerent, sive — salutem sibi parerent,*** [*egrediuntur*].

W. seclusit una cum particula *et* verbum plane otiosum *egrediuntur*, cum idem (sc. egressus ex oppido) iam pateret

---

1) Sic L. rec. W. — *extollit. Armatus* — O.

2) *Armatus, quid agendum esset, sibi cum videret*: V turpiter interpolatus.

ex *eruptionem faciunt.* Sed praetervidit hoc verbositatis genus, quo apparet, quantae difficultati fuerit scriptori lingua commode usurpanda, saepius inveniri, velut 76, 1 *interfecto praesidio Scipionis — fortiter repugnante P. Cornelio — atque circumvento interfectoque.* 72, 4 *quo miles — cognosceret cui parti corporis eius telum facile adigi posset, ornatusque ac loricatus cum esset elephans, quae pars corporis eius sine tegmine nuda relinqueretur, ut eo tela conicerentur*; sim. 39, 2; 69, 1; 78, 6 eqs.

85, 4—5 — *protinus [armis abiectis] in regia castra fugere contendunt — desperata salute in quodam colle consistunt atque armis [dimissis] salutationem more militari faciunt.*

W. seclusit *armis abiectis.* Apparere enim ex insequentibus *armis* (delet enim et *dimissis*) milites ea non abiecisse. At illo loco *armis abiectis* aptissimum esse in militibus fugientibus patet. Atque armorum vocabulum inprimis significare scuta, loricas, galeas exempla docent ut bell. Hisp. 9, 4 *multi praeterea armis exuti fugerunt, quorum scuta sunt relata LXXX.* 15, 4 — *compluresque armis exuti — in castra sunt redacti.* Altero loco archetypus exhibuerat *armis dimissis.* Nam quod A participium omittit, L (in margine pr. m.) *missis* praebet, nullius est momenti. Iam cum milites armis dimissis salutationem facere nequeant *more militari*, editores suo iure correxerunt *armis demissis*, ita ut *armis demissis salutare* idem sit ac *nutu et motis armis salutare*: itaque et haec verba optime se habent, modo *arma* significent tela seu enses. cfr. Lucil. Phars. IV, 173 *nutu motoque salutant ense suos.* Quapropter verba *armis abiectis* et *armis demissis* minime inter se contraria sunt, ut putavit W.: id solum molestum est, quod scriptoris neglegentia et arma et tela uno vocabulo armorum significavit. Similiter 89, 1 *armis frumento pecuniaque considerata*, postquam antea scripsit

Thapsi fuisse magnum numerum frumenti armorum telorum.

85, 6 *inlustres urbanos*[1]), *quos auctores appellabant complures — interfecerunt.*

W. haec verba ita conformavit: *inlustres viros [quos urbanos auctores appellant]* —. Sed *viros* quod W. ex codice interpolato L recepit plane otiosum est: *urbanus* substantivi munere fungitur (ut leg. agr. II, 79; de har. resp. 56), quo significantur sine dubio *tribuni militum reliquique praefecti, qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti non magnum in re militari usum habebant* (bell. Gall. I, 39, 2), et qui opponuntur veteranis. Quid autem reliqua verba significent *quos auctores appellabant*, cum agatur de appellationibus, quas milites veterani his urbanis indiderunt, nondum expediverunt critici. Itaque in temeritatis crimen incurrit, qui verba secludit, quae nec intelleguntur et lacunosa videntur. Desunt enim quibus explanetur, cuius rei fuerint auctores. Viam plane diversam ingressus est Kiessling. Suspicatus est enim *appellare* idem significare ac *auxilio vocare* et scribendum esse *inlustres urbanos, quos saucii hostes appellabant.*

86, 3 *ac statim inde [digressus] Rebilo proconsule cum tribus ad Thapsum legionibus et Cn. Domitio cum duabus Thysdrae — relictis — Messala Uticam ante praemisso — ipse eodem iter facere contendit.*

Cur *digressus* deleverit Novak., ignoro. Si putavit participium delendum esse, quod non quadraret in rerum gestarum ordinem, refellitur maxima prothysteri copia, quae in hoc commentario invenitur, velut 68, 4 *camelis XXII — abductis praesidio ibi — relicto ipse se recipere coepit* —; sim. 9, 1; 89, 3 eqs. Structura denique, quae deleto participio nascitur *inde eodem iter facere* toto coelo distat ab scriptoris usu, qui reliquis locis omnibus, si quidem res

---

1) *viros, quos urbanos appellant conplures* — L.

similiter se habet, participium vel verbum finitum addere solitus est. cfr. enim 7, 1 *inde movit et pervenit*. 23, 1 *profectus ab Utica — est ingressus*. 25, 3 *inde progressus vexare non destitit*. Idem 76, 2; 68, 2; 88, 7; 10, 1; 25, 1; 48, 1; 92, 2; 87, 8; 89, 3; 97, 1; 6, 1; 62, 5; 79, 1; 89, 1. Apparet hinc quoque defendi archetypi scripturam 62, 1 *ab Utica progressus Adrumetum — pervenit*. cfr. ad hunc locum pag. 112.

87, 4 *ut [eis interfectis] eorum pernicie dolorem suum ulciscerentur*.

Haec oratio languida inde nata est, quod uterque ablativus ex aequo coniunctus est, cum alter alteri subiungendus fuerit: dolorem enim ulciscuntur hostium pernicie, quae eis interfectis consummatur. Eandem autem parataxin invenimus 88, 6 *convocato populo contione habita* (= convocato, ut contionem haberet, populo); 88, 3 [*sine suspicione*] *vultu atque sermone quo superiore tempore usus fuerat* (= sine suspicione, quod eodem erat vultu atque sermone, quo superioribus diebus usus fuerat), ubi W. sine idonea causa delevit *sine suspicione*, quod vi usurpatum est passiva, qua legitur apud Cic. pro Cael. 11 *tot annos* (Caelius) *versatus in foro sine suspicione*; pro Planc. 43 *quam* (voluptatem) *ille sine ulla cupiditatis suspicione prae se fert*.

88, 4 *qui cum anima nondum expirata concidisset, ⟨et⟩ impetu facto in cubiculum [ex suspicione] medicus familiaresque continere — coepissent —*.

ex suspicione prorsus est necessarium. Absque eo enim non apparet, cur familiares securi subito in cubiculum irruerint: strepitus scilicet concidentis spiritumque aegre trahentis eis suspicionem movit aliquid accidisse.

89, 5 *cui Caesar facile et pro natura sua et pro instituto concessit, item Caecinae — [ex sua consuetudine] tribuit*.

Cum tribuendi verbo obiectum desit, quo carere vix potest, Kiessling perspexit *idem* scribendum esse pro *item*.

ex sua consuetudine W. interpolatori adscripsit ratus fortasse haec verba eadem significare atque antecedentia: *pro natura sua et pro instituto*: at scriptor cum Caesaris clementiam extollere velit, his indicat Caesarem solitum esse clementiam sequi, quae et a natura ei innata erat et qua uti studio animorum sibi conciliandorum commotus instituerat.

90, 1 *Uticenses [incolas] cohortatus gratias — egit, cives autem Romanos [negotiatores et eos], qui [inter trecentos] pecunias contulerant Varo et Scipioni — ut sine metu prodirent edicit.*

Dedita opera discernit scriptor Uticenses incolas vernaculos, qui Caesaris partibus favebant (cfr. 87, 3—6; 88, 5), a civibus Romanis, qui ibi negotiorum causa (nam aliam in provincia degendi causam Romani cives vix habebant, cfr. Plut. Cato min. 59) consistebant. Itaque *incolas* et *negotiatores* offensionem nullam praebent. Ex his negotiatoribus trecenti amplissimi a Catone electi erant, quibus uteretur senatoribus: nam non omnes negotiatores in hoc senatu fuisse ipso fit verisimile numero. Itaque recte discernit scriptor inter trecentos, de quibus solis aliquid certi criminis Caesar proferre potuit (propterea eis solis (90, 2) uno nomine multa [1]) imponitur), et inter negotiatores reliquos (cfr. ad 28, 1), quibus id solum sceleri vertere potuit, quod non contra Catonem fecerant. Unde simul apparet *inter trecentos* (= *cum fuissent i. tr. als Mitglieder der tr.*) locum sibi vindicare: nam causam continet, qua explicetur, cur pars tantum negotiatorum pecunias contulerit.

91, 3 *ubi eos perstare in sententia animadvertit [nec minis ne precibus suis moveri quo magis se reciperent].*

---

1) Sine ullo dubio bis miliens sestertium eis impositum est. Nam 90, 3 solus codex π *bis* omittit, quem editores omnes iniuria secuti sunt.

moveri quo magis Asinio vix imputari posse W. contendit. At hunc ratiocinandi modum supra (pag. 13) iam notavimus non esse cauti critici. Accedit quod apud ipsum Caesarem legitur bell. civ. I, 82, 3 *quo minus dimicare vellet movebatur.* Unde sequitur contrarium *movere quo magis*, quamquam exemplis probari non potest, non facere contra linguae indolem. Huius denique scriptoris indolem apertam enuntiatum prae se ferre elucet ex sententiae forma et affirmativa et negativa. cfr. ad 73, 2.

95, 1 *P. Sitius — cum iter cum paucis [per Mauretaniam] ad Caesarem faceret, forte incidit in Faustum Afraniumque, qui eam manum habebant, qui Uticam diripuerant [iterque in Hispaniam intendebant]* —.

Primum delevit W. *per Mauretaniam*, nam cum Iuba rex fuisset Numidiae et Gaetuliae, non potuisse Sitium, qui eius copias delevisset, iter per Mauretaniam facere. Quod cum verum sit, sequitur, ut haec verba hinc tollenda et paulo post inserenda sint: *iterque per Mauretaniam in Hispaniam intendebant.* W. quidem et haec verba eicienda censet. Dicit enim haec: 'verba addita sunt a ludi magistro, qui verba supra scripta *iter per Mauretaniam facere* temere ita intellexit, quasi illi ab Utica per Mauretaniam iter habuissent. Accedebat, quod partium Pompeianarum duces fuga Hispaniam petivisse 96, 1 scriptum idemque de Labieno aliisque memoriae proditum est.' Haec ultima verba non modo nihil probant, immo contra W. faciunt; apparet enim ex eis inter Pompeianorum duces convenisse, ut re in Africa male gesta in Hispania bellum redintegrarent. Itaque perbene quadrat in res gestas Sullam quoque Afraniumque in Hispaniam tetendisse. Si autem scribimus *iter per Mauretaniam in Hispaniam intendere* scriptor nihil aliud dicit nisi terra eos, non mari, sicut reliquorum maior pars profectus est, iter fecisse. cfr. locum similem bell. civ. I, 39, 3 *audierat* (Caesar) *Pompeium per Mauretaniam cum legionibus iter in Hispaniam facere*; id. 60, 5 *per Mauretaniam venire.*

96, 2 *a qua* (classe Sitii) *pauciora* [*ab amplioribus*] *circumventa navigia deprimuntur.*

'Cum ageretur non de magnitudine sed de multitudine navium, scribi debuit *a pluribus* ideoque *ab amplioribus* delendum est': sic W. At et adiectivum *amplus* adhiberi posse ad multitudinem significandam exempla docent velut Cic. Verr. II, 124 *numerus amplus*; Phil. II, 40 *amplius sestertium ducenties.* Accedit quod hoc loco iuxta positum est adiectivum *pauciora*, ut qua significatione *ampliora* usurpatum sit statim appareat.

Iam ad disputationis finem pervenimus. Cum Woelfflini sententiam, qua commentarium interpolationibus pessime turbatum esse contenderat, ab omni parte falsam esse demonstratum sit, quod amplius addam contra Landgrafi sententiam, non habeo. Id restat ut gratias agam quam maximas Adolfo Kiessling, praeceptori humanissimo, qui ut semper studiis meis benigne favit, ita huius dissertationis cum auctor tum inprimis dux fuit sagacissimus.

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena.